Hampt

DISSERTATIONES

PHILOLOGICAE HALENSES

VOL. XIII PARS II.

HALIS SAXONUM
MAX NIEMEYER
MDCCCLXXXXVI.

G. HAUPT:

COMMENTATIONES ARCHAEOLOGICAE IN AESCHYLUM.

Quaestiones quas in hoc libello mihi sumpsi tractandas duplex munus complectuntur colligendi quotquot monumenta ad Aeschyli tragoedias spectant, scrutandi quae ad invenienda perditarum fabularum argumenta inde efficiantur. Alterum officium inde a Welckeri memoria desertum fere ac neglectum iacet, monumenta ad Aeschylum revocare multis modis multi studuerunt. Neque tamen, in quorum censura praecipue operam consumpserunt, monumenta in Orestea fabula versata idcirco praetermittenda duxi sive paucis absolvenda, luculenta scilicet ea exempla ratus, qua ratione in fabulis illustrandis veteres usi sint. Fundamentum igitur ea praestant, unde in restituendis ad monumentorum fidem perditarum fabularum argumentis proficiscamur. Quocirca ita progrediar, ut primum ea monumenta illustrem, quae ad servatas fabulas spectent; tum ea comprehendam, quae etsi iure ad deperditas quasdam Aeschyli fabulas referuntur, tamen nihil novi doceant et ad argumenta fabularum cognoscenda minus valeant; denique de eis disseram, quae accuratiorem suppeditent notitiam fabularum deperditarum.

Initium facio ex eis monumentis, quae Orestem exhibent supplicem ad omphalum Apollinis considentem. Cuius fata etsi ad fidem Stesichorei carminis iam ante annum tertium Olympiadis LXXX ficta pictaque fuisse constat neque in operibus post Aeschylum factis Stesichoreae narrationis vestigia desunt[1]), tamen tanta erat Aeschyleae tragoediae auctoritas apud omnes, qui post eum in hoc argumento versati sunt, ut nullius fere fabulae neque Aeschyli neque Euripidis plura in monumentis vestigia videamus. Magno e numero ea potissimum elegi exempla quae ad rationem, quae inter pictorem et poëtam intercedat, perspiciendam maxime pertineant. Atque primum quidem

[1]) Vid. Robert, Bild und Lied p. 149 ss.

amphora Rubustina, quam publici iuris fecit Stephani Compte-rendu 1863 VI s. quam maxime accurate **Eumenidum** prologum exhibet. Cernimus Orestem gladio educto in templo ad omphalum considentem Eumenidesque quinque numero diffusas dormientes. Extra templum sacerdos perterrita effugit. Jam conferas Pythiae verba apud Aeschylum Eumen. V. 34 ss.

ἦ δεινὰ λέξαι, δεινὰ δ' ὀφθαλμοῖς δρακεῖν
πάλιν μ' ἔπεμψεν ἐκ δόμων τῶν Λοξίου,
ὡς μή με σώκειν μηδ' ἔτ' ἀκταίνειν βάσιν.
τρέχω δὲ χερσὶν, οὐ ποδωκείᾳ σκελῶν.
— — — — — — — — — —
ὁρῶ δ' ἐπ' ὀμφαλῷ μὲν ἄνδρα θεομυσῆ
ἕδραν ἔχοντα προστρόπαιον, αἵματι
στάζοντα χεῖρας καὶ νεοσπαδὲς ξίφος
ἔχοντα — — — — — — — —
— — — — — — — — — —
πρόσθεν δὲ τἀνδρὸς τοῦδε θαυμαστὸς λόχος
εὕδει γυναικῶν ἐν θρόνοισιν ἥμενος.

Quos versus pictorem accurate sequi videmus nullis rebus aliunde additis neque ut fit in unum confusis quae eodem tempore facta esse non possunt. Quin etiam in eo pictor ad poëtam satis accurate se applicat, quod pro tribus Eumenidibus, quo numero has deas et Argis et Athenis cultas esse constat[1]) plures inducit. Solemnem enim illum numerum augere nemini in mentem venire potuit nisi tragico poëtae, scilicet ut iustum choreutarum numerum compleret. Quem secutus est vasculi illius pictor, cum vel sarcophagorum Romanorum artifices trinum illum numerum retinerent.

Longe aliam rationem secuti sunt alterius tertiaeque amphorae, utriusque Rubustinae, pictores. Quarum altera[2]) Orestem supplicem cum gladio ad omphalum fugientem Pythiamque coniungit cum Apolline furiam repulsante. Adest etiam Diana cum fratre coniuncta. Cum primae amphorae pictor ea tantum pictura comprehendit, quae re vera eodem temporis momento

[1]) Vid. Mitteilungen des athen. Instituts IV 1879, tab. 9. 10. Preller-Robert Griech. Myth. I. 837, 1. Polemon fr. 41. [2]) Expressa est apud Jahnium Vasenbilder 1839, I, 1.

facta sunt, hic potius omnes prologi partes complexus simul nobis ostendere studet. Nam Apollo furiam repulsans pertinet ad Eumenidum versus 179 ss.:

ἔξω, κελεύω, τῶνδε δωμάτων τάχος
χωρεῖτ', ἀπαλλάσσεσθε μαντικῶν μυχῶν,
μὴ καὶ λαβοῦσα πτηνὸν ἀργηστὴν ὄφιν,
χρυσηλάτου θώμιγγος ἐξορμώμενον,
ἀνῇς ὑπ' ἄλγους μέλαν' ἀπ' ἐντέρων ἀφρόν.

At quo tempore haec Apollo dixit neque sacerdos neque Orestes in scaena aderant. Neglexit igitur pictor ordinem rerum, simul omnia coniunxit. Quod vero furiam per totum corpus nigram pinxit, fecit id quoque Aeschylum secutus. Illic enim Pythia perterrita effugiens Eumenidum aspectum in scaena antea inusitatum hisce verbis enarrat (V. 46 ss.)

πρόσθεν δὲ τἀνδρὸς τοῦδε θαυμαστὸς λόχος
εὕδει γυναικῶν ἐν θρόνοισιν ἥμενος.
οὔτοι γυναῖκας, ἀλλὰ Γοργόνας λέγω,
οὐδ' αὖτε Γοργείοισιν εἰκάσω τύποις.
εἶδόν ποτ' ἤδη Φινέως γεγραμμένας
δεῖπνον φερούσας. ἄπτεροί γε μὴν ἰδεῖν
αὗται, μέλαιναι δ' ἐς τὸ πᾶν βδελύκτροποι.

Harpyias Phinei cenam rapientes non ut aves scilicet pingebant Graeci, quales in sepulcro illo Xanthi reperto occurrunt, sed forma prorsus humana, alis tamen instructa. Eiusdem fere quo Orestea docta est temporis specimen exstat amphora Mon. d. Inst. III 49: virgines videmus alatas veste succincta oribusque male deformatis.[1]) Quod in exemplum Aeschylus Eumenides effinxit, nisi quod alis remotis angues adiecit et totum corpus nigrum effecit.

Tertia denique amphora[2]) Clytaemestrae umbram exhibet furias suscitantem, dum Apollo coram sorore Orestem ad omphalum considentem sue lustrat. Clytaemestrae umbram e terra

Conferas vas Atticum antiquissimum Aeginae repertum, quod publici iuris fecit Furtwaenglerus in diario archaeologico 1882, p. 197
[2]) Overbeck: Gallerie heroischer Bildwerke XXIX 12.

emersam in scaenam prodiisse notum est. Lustratio vero Orestis neque in scaena conspecta neque omnino in prima parte fabulae commemorata est, sed ex eis pictor eam sumpsit, quae Orestes Atheniensibus supplex narrat v. 279 ss.:

μητροκτόνον μίασμα δ' ἔκπλυτον πέλει
ποταίνιον γὰρ ὂν πρὸς ἑστίᾳ θεοῦ
Φοίβου καθαρμοῖς ἠλάθη χοιροκτόνοις.

Hic igitur pictor non solum diversas tragoediae partes coniunxit, sed ea quoque imagine expressit, quae in scaena omnino non conspiciebantur, sed narratione tantum exponebantur. Quid igitur? Nonne luculenter apparet, qua ratione artis monumentis ad fabulas restituendas uti possimus? Suppeditant enim imagines fabularum argumenta, ipsas fabulas non praestant. Qui compositioni fabularum operam dat inveniendae atque enucleare studet, quid in scaena conspectum sit, quid nuntiorum narrationibus diverbiisve tribuendum, cavendum ei est, ne aliis argumentis confidat quam ipsis fabulae fragmentis et scaenae usui diligenter observato.

Jam paucis comprehendam quae restant monumenta in Eumenidum argumento versata. Praetermitto magnum numerum picturarum, quae Orestem exhibent ad omphalum fugientem; quae sive accurate ad Aeschyleam fabulam sese applicant sive ad libidinem ab eo discedunt fere nihil ad nostrum studium afferunt momenti. Diligenter eas collectas enarravit Conradus Wernicke in actis archaeologicis XLII 1884 p. 199 ss. Contra sarcophagi Romani quotquot Orestis fata ad Aeschyli fidem continuato ordine narrant,[1] Orestem exibent, qui dormientem furiam transgressus furtim ex aede Apollinis semet subducere conatur. Eandem rem cum praebeat fragmentum vasis ficti,[2] dubitari vix potest quin ex clara aliqua pictura sive Theonis sive Timomachi haec scaena pendeat. Calculus quoque Minervae occurrit ut in vase argenteo[3] ita in sarcophagis nonnullis marmoreis,[4] ubi dea coram furia tabellam in urnam demittit. Sola

---

[1]) Vid. Robert, Sarkophag-Reliefs II, tab. LIV—LVI. p. 165 ss. [2]) Expressum apud Stephani Compte-rendu 1870. 1871 tab. 5 Nr. 11 p. 195. Robert l. c. p. 170. [3]) Overbeck, Gallerie heroischer Bildwerke XXIX 15. [4]) Vid. Robert l. c. tab. LV fig. 156 b. 157 a. p. 173.

Minerva cum calculo efficta est et in gemmis nonnullis [1]) et in lucernis figlinis. [2])

Jam vero sarcophagi agmen ducunt eorum monumentorum, quae e **Choephoris** Aeschyli argumentum hauserunt, quae et ipsa non sine fructu examinabuntur, ut artificum morem in poëtis illustrandis plane perspiciamus. Quippe Aeschylus Aegisthum foras vocatum fecit, ne per satellites Orestis consilium ad irritum caderet. Contra apud Stesichorum regem in solio Agamemnonis occisum esse nota quaedam quinti saeculi vasa docent. [3]) Jam inspicias quo modo in sarcophagis Romanis haec res expressa sit. [4]) Pyladem videmus qui Aegisthi a sella delapsi corpus exanimatum pallio spoliat, ut nutrici quae perterrita aversatur, regem occisum ostendat. Juxta eum Orestes conspicitur, cuius ad pedes mater necata iacet. Servus humi considens sub scabellum se condere conatur. Jam vero furiae angues vibrantes in Orestem accedunt, qui furore percussus ab earum conspectu vultum avertit. Aegisthus de solio delapsus etsi Aeschyleae fabulae vehementer repugnat, tamen furiarum ille adventus omnem dubitationem demit, quin artifex Aeschyli versus in animo habuerit, ubi Orestes cum corporibus matris ac regis in machina apparet et de facinore gloriatus furias subito conspicit. Conferas versus 1048—1051:

ἀᾶ
γυναῖκες αἵδε Γοργόνων δίκην
φαιοχίτωνες καὶ πεπλεκτανημέναι
πυκνοῖς δράκουσιν. οὐκέτ᾽ ἂν μείναιμ᾽ ἐγώ.

Unum igitur illud Stesichoreum est: Aegisthus in usurpato Agamemnonis solio necatus, ex artificum quam dicunt traditione sumptus; cetera omnia Aeschylea. Habes exemplum imaginis ex duobus poëtis diversis modis pendentis. Nam ad picturae cuiusdam exemplum sarcophagorum opifices scaenam illam expressisse post

---

[1]) Cf. Caylus, Recueil d'Antiquités II pl. 43. No. 2. Overbeck, Bildwerke zum Thebischen und troischen Heldenkreis, Atlas, XXXIX Nr. 14, Eckhel, Choix de pierres gravées du Cabinet de l'Empereur à Vienne pl. 21. [2]) Cf. Caylus l. c. III pl. 39. Bellori, Le antiche lucerne sepolcrali figurate II tav. 40. [3]) Vid. Robert, Bild und Lied p. 149 ss. [4]) Cf. Robert, Sarkophag-Reliefs II, tab. LIV Nr. 155—160, p. 168 ss.

Benndorfii egregiam disputationem[1]) inter omnes constat. Nec auctor picturae latet: Theon fuit Samius.[2])

Ipsam Clytaemestrae necem secundum Aeschyli fabulam pictura Pompeiana exhibet, quae expressa est in diarii archaeologici tom. XLI 1883 tab. 9, 1. Mater mortis formidine percussa mammam detegit, qua filium quondam alebat, frustra mortem deprecata. Conferas Choephororum versus 896—898

ἐπίσχες, ὦ παῖ, τόνδε δ' αἴδεσαι, τέκνον,
μαστόν, πρὸς ᾧ σὺ πολλὰ δὴ βρίζων ἅμα
οὔλοισιν ἐξήμελξας εὐτραφὲς γάλα.

Cui picturae qui similem speciem prae se fert sarcophagus Petropolitanus (Nr. 155 apud Robertum) haud scio an non recte huic ordini adnumeretur, cum ad alius cuiusdam poëtae tragoediam eum spectare certa signa doceant.[3]) Contra haud dubie huc pertinet amphora, quae Orestem exhibet cum sorore ad patris tumulum congressum.[4]) Quam rem Aeschylum perinde ac Stesichorum narravisse constat, nisi quod Pyladem cum Talthybio Orestis comite mutavit. Stesichoream fabulam iam quinto saeculo ineunte in anaglypho figulino expressam etiam inferioris aetatis pictores secuti sunt.[5]) Nostrae vero amphorae pictor ut exemplum illud ad Aeschyli fabulam accommodaret, Orestem pinxit cum Pylade et puero quodam comite ad patris tumulum aggressum, quem Electra adornat.

Ab Orestea ad **Prometheum vinctum** transeo, quam unam praeter illam e fabulis servatis pictores spectavisse videntur. Huc rettulit Furtwaengler lapidem incisum, qui titanem exhibet cum Vulcano coniunctum.[6]) Prometheus qui immani statura

[1]) In annalibus instituti archaeologici XXXVII 1865 p. 224. [2]) Vid. Benndorf l. c. p. 239. [3]) Vid. Robert l. l. p. 165. [4]) Heydemann, Vasen des Museo nazionale zu Neapel. No. 1755. — Baumeister, Bilderhefte No. 280. [5]) Mon. d. Inst. VI tav. LVII. Conze in annalibus instituti archaeologici tom 1861 p. 34. Robert, Bild und Lied p. 167ss. [6]) In diario archaeologico XLIII 1885 p. 223. Gemma Odessana sine dubio eadem est, quam Eduardus Gerhardus in diario archaeologico delineandam curavit (IV 1849 tab. VI 3), de Ulixe et Philoctete iniuria cogitans. Lapis tunc Smyrnae erat. Fugit hoc Furtwaenglerum; sed etiam magis miror Blochium, qui nuper de gemma illa similiter ac Gerhardus iudicavit (Griechischer Wandschmuck p. 35), Furtwaenglerianae disputationis prorsus immemorem fuisse.

eminet, in dextera manu scipionem gerit. Cruri sinistro vinculum circumiectum est catena rupi affixum. Bracchium sinistrum Vulcanus, cuius caput pilo tectum est, sustinet, ut id quoque ad rupem adliget. Quin ad ipsam Aeschyli fabulam scalptor spectaverit dubitari non potest, cum ante Aeschylum nullum poëtam titanem rupi affixum finxisse constet. Vinculum cruri circumiectum commemorat Aeschylus versu 74 *σκέλη δὲ κίρκωσον βίᾳ*. Placidum Vulcani vultum suo iure Furtwaengler rettulit ad verba

> *ἄκοντά σ' ἄκων δυσλύτοις χαλκεύμασι*
> *προσπασσαλεύσω τῷδ' ἀπανθρώπῳ τόπῳ.*

Sceptrum quod in scaena titan gessisse non potest, idem recte excusat ex Promethei apud Atticos cultu, vasis cuiusdam Attici (Mon. d. Inst. V 35) testimonio adiecto.

Ventum est ad ea monumenta, quae de fabulis perditis pendere videntur. Atque quae ad **Pentheum** spectant, ea in duas classes vel primo obtuto dividuntur. Altera quae praeter Romani temporis opera Atticae fabricae tantum complectitur vasa, ipsam mortem regis exhibet, qui nudus inermis a comitibus destitutus a maenadibus dilaceratur. In altera Pentheus calceatus pallioque indutus cum gladio hastisve se a Bacchi comitibus defendit. Prioris generis monumenta etsi pro figurarum similitudine ad eandem fabulam omnia pertinere videntur, ad dispares tamen narrationes spectare Paulus Hartwig [1]) intellexit. In vase enim haud integro, quod Pamphaei artem redolet, uni ex mulieribus, quae regem dilacerant, nomen *Γαλήνη* adscriptum est.[2]) Reliquae mulieres ut quidem nunc pictura exstat nominibus carent. Quod vero nomen *Γαλήνη* inter maenadum nomina non inauditum [3]) ad Cadmi filias minime quadrat, suo iure Hartwigus statuit pictorem Agaues facinus omnino nescivisse, Euripidem primum non a quibuslibet maenadibus sed ab ipsa matre dilaceratum regem indicavisse. Ad antiquiorem hanc fabulae formam referenda sunt praeter antiquissimum illud exemplum

---

[1]) In annalibus instituti archaeologici VII 1892 p. 153 ss. [2]) Delineandum illud curavit Hartwigus l. c. tab. 45. [3]) Hartwigus affert exemplum expressum apud Millingen, Vases Coghill pl. XIX.

patera[1]) et pyxis[2]) utraque Parisiensis. Posteriores artifices quin non antiquiorem istam fabulam sed Euripideam in mente habuerint, pro eximia laude Baccharum, quae priorum narrationum memoriam fere exstinxit, dubium esse nequit.

Magis ad nostrum studium attinet altera classis vasorum, quae ab Hartwigo aliis neglecta Aeschyleae fabulae plana et aperta signa prae se ferre videtur. Ecce monumentorum conspectum:

In patera Rubustina (Jatta 1617) Pentheus palliatus armatusque se contra duas maenades defendit, quae utrimque in eum occurrunt. Altera gladium regi intendit, altera thyrso eum ferire conatur. Vasculum expressum est apud Jahnium, Pentheus tab. Iab. — Bullett. Nap. IV tab. 2, 3. — Müller-Wieseler, Denkmäler II 426.

Pateram item Rubustinam quae nunc exstat in museo publico Neapolitanorum 2562, simillimae speciei pictura ornatam esse Hartwigus affirmat (l. c. p. 154, 2). Minervini, Mem. acad. tav. I. — Memorie della R. acad. Ercol. IX. tav. IV. — Mus. Borb. XVI tav. XI. — Heydemann, Vasen des Museo nazionale zu Neapel 2562.

Patera musei Monacensis 807 exhibet regem, qui pallio calceis pileo indutus inter arbores duas subsidet gladium strictum in manu tenens. Tres utrimque maenades in eum occurrunt. Jahn, Pentheus IIa. — Millingen, Peintures de vases pl. V. — Baumeister, Denkmäler II fig. 1396. — Jahn, Vasensammlung in München 807.

Hartwigus l. c. p. 162 etiam pateram ineditam musei in Juli Papae vinea nuper conditi huc rettulit, quam exeunte quinto saeculo ornatam esse affirmat. Crispi iuvenis caput abscissum duae maenades circumferunt gladiis armatae. In altero latere pictor easdem figuras repetiit satyris duobus adiectis. Dubitat Hartwigus ad quemnam poëtam has picturas revocet, cum Euripideae tragoediae satyri repugnent, Penthei caput abscissum cum illa faciat. Jam vero cur vasculi pictori pro mortalibus Bacchi cultoribus, de quibus apud Euripidem legimus, satyros

---

1) Expressa est apud Campana IV 638. Hartwig l. c. p. 162. 2) Expressa apud Campana IV 761. Hartwig l. c. p. 156.

inducere non licuerit, non intellego. Sed omnino duco pateram ex hoc numero esse removendam, cum prorsus incertum sit utrum ad Penthei fata an Orphei spectet.[1] Ceterum monendum videtur eandem dubitationem cadere in pateram Parisiensem ab Hartwigo item ad Euripidem relatam, in qua quattuor maenades cum bracchiis cruribusque abscissis sive Penthei sive Orphei circumvagantur. Nomina scilicet nulla adscripta sunt neque quae in altero latere ac in parte interiore exstant picturae ad quaestionem solvendam quidquam valent.

Neque minus segreganda est patera caelata, quam Diltheyus publici iuris fecit in diario archaeologico 1873 tab. VII 3. Virum illa exhibet procumbentem clipeoque innisum, qui gladio frustra maenadi, si quidem editori credere velimus, et pantherae repugnat. De Pentheo cogitavit Diltheyus. At non maenadem videmus, sed ipsum Bacchum. Scaenam habemus gigantomachiae, quam similem expresserunt arae Pergamenae artifices.

Restant igitur sola tria illa, quae supra enumeravi, vasa Appula, quae ab interpretibus et ipsa ad Euripidis Bacchas referri solent.[1] Sed ipsi illi confiteri debuerunt, gladios maenadum ab Euripide alienos ultro a pictoribus additos esse. Jam maenades gladiis instructas patienter feremus, quippe quae fabulae non prorsus repugnent. Pentheum vero quod palliatum armatum pugnantem pinxerunt, cum sive nudum sive mulieri veste indutum inermem supplicem pingi fabula iuberet, haud scio quo quamvis miro consilio pictorum excusem. Inspiciamus Euripidis versus Bacch. 1111—1121:

ὑψοῦ δὲ θάσσων ὑψόθεν χαμαιπετὴς
πίπτει πρὸς οὖδας μυρίοις οἰμώγμασι
Πενθεύς, κακοῦ γὰρ ἐγγὺς ὢν ἐμάνθανε.
πρώτη δὲ μήτηρ ἦρξεν ἱερία φόνου
καὶ προσπίτνει νιν. ὃ δὲ μίτραν κόμης ἄπο
ἔρριψεν, ὥς νιν γνωρίσασα μὴ κτάνοι
τλήμων Ἀγαύη, καὶ λέγει παρηίδος
ψαύων 'ἐγώ τοι, μῆτερ, εἰμὶ παῖς σέθεν,

---

1) Cf. quae infra de argumento Bassaridum disputavi. 2) Vid. Sandys, Euripides' Bacchen. Hartwigum l. c.

Πενθεὺς, ὃν ἔκτανεν ἐν δόμοις Ἐχίονος,
οἴκτιρα δ' οὐ μήτηρ με μηδὲ ταῖς ἐμαῖς
ἁμαρτίαισι καλὸς ὢν κατακτάνῃς.

Non moror singula recensere. Apparet ne umbram quidem fabulae Euripideae affectavisse, qui pateras Ruhnstianas ornaverunt. In vase Monacensi rem aliquantum aliter sese habere infra demonstrabo. Verum pugnam in imaginibus illis inter Pentheum maenadesque commissam esse ex apertissimis indiciis intellegimus. Nostrum est eiusmodi fabulae apud scriptores vestigia indagare.

Sacerdotis in Eumenidibus Aeschyleis de Corycio rupe haece verba leguntur:

Βρόμιος ἔχει τὸν χῶρον, οὐδ' ἀμνημονῶ,
ἐξ οὔτε Βάκχαις ἐστρατήγησεν θεός,
λαγὼ δίκην Πενθεῖ καταρράψας μόρον.

Verba *ἐστρατήγησεν θεός* ut fabulae quam e Bacchis Euripideis aliisque scriptoribus novimus, vehementer repugnant ita ad eam quam in vasis invenimus narrationem vel optime quadrant. Neque secus in Baccharum prologo Dionysus praefatur v. 50 ss.

ἢν δὲ Θηβαίων πόλις
ὀργῇ σὺν ὅπλοις ἐξ ὄρους Βάκχας ἄγειν
ζητῇ, συνάψω, Μαινάσι στρατηλατῶν

unde coniecit Bruhnius Euripidem cum prologum conscriberet, de alia fabulae forma, a qua Penthei vestis mutatio aliena esset, cogitavisse, postea in ipsa fabula conscribenda in novum illud inventum incidisse. De Baccharum compositione infra data opera accuratius disseram; hic ea constringo quae ad propositum spectant. Constat ex quibus attuli argumentis ante Euripidem de pugna inter Pentheum Dionysique comites commissa narratum esse eandemque fabulam Aeschylum in Eumenidibus attigisse. Quodsi eiusdem Penthea in regis exitu versatam esse scimus[1]), in ea fabula pugnam illam prolatam esse non sine probabilitate conicimus.

Ex Aeschyli igitur tragoedia Appularum imaginum argu-

[1]) vid. Aristophanem in argumento Baccharum: *ἡ μυθοποιΐα κεῖται παρ' Αἰσχύλῳ ἐν Πενθεῖ.*

mentum haustum esse concludimus; qua in re nihil refert, utrum ipse Aeschylus hanc fabulae formam invenerit an, quod puto, ab aliis receptam servaverit. Nemo enim putabit vascula illa ad sexti saeculi quendam poëtam respicere. Neque tamen hac re omnis quaestio absoluta est. Nimirum cui non in mentem venit paries ille celeberrimi templi Bacchici Atheniensis, in quo Penthei exitum pictum fuisse hisce Pausaniae verbis docemur (I 20, 3): *ταῦτά τε δὴ γεγραμμένα εἰσὶ καὶ Πενθεὺς καὶ Λυκοῦργος ὧν ἐς Διόνυσον ὕβρισαν διδόντες δίκας, Ἀριάδνη δὲ καθεύδουσα καὶ Θησεὺς ἀναγόμενος καὶ Διόνυσος ἥκων ἐς τῆς Ἀριάδνης τὴν ἁρπαγήν.* Templum intra annos 420—413 aedificatum esse nuper Emilius Reisch luculentis argumentis probavit[1]) neque habemus cur non parietes statim pictos esse ducamus. Quod si pictura illa Euripidis Bacchis praecurrit, res ipsa tantum non clamat Aeschyleam fabulam artificem secutum esse. Hac de pictura maxime vascula illa Appula pendere arbitror, nisi quod paterae Monacensis pictor hoc certe de Bacchis Euripideis sumpsit, quod inter arbores latentem Pentheum pinxit. Aeschylum igitur hic cum Euripide eodem modo coniunctum videmus velut in Theonis tabulis cum Stesichoro (vid. supra p. 111).

Monumenta quae Aiacis mortem exhibent nullo iure ad Aeschyli Thracias mulieres referri, cum iam Arctinum eam narravisse constet[2]), recte in universum Vogelus contendit.[3]) Potuit is adicere iam in crateribus Corinthiis idem argumentum occurrere.[4]) Attamen fugit illum aliqua certe vascula exstare, quae accurate cum ea fabula consentiant, quam Aeschylo propriam fuisse scimus. Narrat enim interpres ad Sophoclis Ai. 933; *κατὰ τὸ ἄλλο σῶμα ἄτρωτος ἦν ὁ Αἴας, κατὰ δὲ τὴν μασχάλην τρωτὸς διὰ τὸ τὸν Ἡρακλέα τῇ λεοντῇ αὐτὸν σκεπάσαντα*

---

[1]) in Eranos Vindobonensis p. 1 ss. Vel de maiore imaginum vetustate cogitavit Milchhoeferus in annalibus instituti archaeologici XI p. 82, nimis quidem infirmo fundamento nixus. [2]) vid. schol. ad Pind. Isthm. III 53. schol. ad Il *Λ* 515. Robert, Bild und Lied p. 223. [3]) in libro: Szenen Euripideischer Tragödien in griechischen Vasengemälden p. 12. [4]) Exempla expressa sunt Mon. d. Inst. VI 33 et Archaeolog. Anzeiger 1891 p. 116.

κατὰ τοῦτο τὸ μέρος ἀσκέπαστον ἐᾶσαι διὰ τὸν γωρυτὸν ὃν περιέκειτο· φησὶν δὲ περὶ αὐτοῦ Αἰσχύλος ὅτι καὶ τὸ ξίφος ἐκάμπτετο οὐδαμῇ ἐνδιδόντος τοῦ χρωτὸς τῇ σφαγῇ, τόξον ὥς τις ἐντείνων, πρὶν δή τις, φησί, παροῦσα δαίμων ἔδειξεν αὐτῷ κατὰ ποῖον μέρος δεῖ χρήσασθαι τῇ σφαγῇ. Ita igitur Aeschylus rem instituit, ut per longum tempus frustra Aiax gladio se occidere conaretur, cum corpus vulnus respueret. Quodsi in pictura Etrusca[1]) Aiacis iam morte defuncti corpus videmus compluribus ictuum notis affectum neque uno vulnere cruentatum, apparet pictorem hoc modo cassos illos conatus significare voluisse et adsentimus Heydemanno, qui ad Aeschyleae fabulae fidem picturam effictam esse contendit (l. l. 61).

Deinde in amphora Palermitana[2]) Aiax ante ferrum humo infixum consistit coram Minerva, quae arieti occiso pedem imponit. Ab altera parte Charon, qualem artifices Etrusci eum fingere solent, appropinquat. Minervam, quae cum ab Aiace animadverti non videatur, invisibilis esse debet, ad priorem fabulae partem spectare eodemque arietem, unum scilicet ex pecudibus ab Aiace furente occisis respicere non sine probabilitate statuit Heydemannus. Tum vero necesse est Charonem in hac pictura mulieris illius vices gerere, quae Aiaci illam corporis partem indicat, quae vulnus suscipere possit. Hoc enim ipsa scholiastae verba docent Aeschylum scripsisse πρὶν δὴ παροῦσα δαίμων neque video quo iure Weckleinius traditam lectionem in πρὶν δὴ παρών τις δαιμόνων mutare ausus sit. Nimirum usque ad παροῦσα δαίμων ipsa verba poëtae adscribuntur, tum autem clausula enuntiati aperte his verbis circumscribitur ἔδειξεν αὐτῷ κατὰ ποῖον μέρος δεῖ χρήσασθαι τῇ σφαγῇ. Id quod vel ipsum Hermannum fefellit, qui ut nuper Weckleinius ἔδειξεν αὐτῷ Aeschyli verba esse ratus ita fragmentum restituere conatus est:

πρὶν δὴ παροῦσα δαιμόνων τις εὐφρόνως
ἔδειξεν αὐτῷ

feminino tamen genere, ut decebat, conservato. Dea illa quaenam fuerit nescire nos sane dolendum est; at cur nesciamus aut cur

---

[1]) Expressa in Mon. d. Inst. II 8 *A* et apud Overbeck, Gall. her. Bildwerke XXIV 2. [2]) cf. Heydemann in Diario archaeologico 1871 p. 46.

Aeschylus nomen deae non addiderit in propatulo est. Verba scilicet sunt nuntii. Quem sive militem exercitus Argivorum sive pastorem quendam fuisse fingimus, qui in ripa latens nec prae ducis furentis timore propius accedere ausus mortem eius observaret, profecto numinis illius nomen misisse consentaneum est. Neque divinare possumus, quo modo postea spectatores de nomine eius edocti sint. Quae cum ita sint vel de ipsa Minerva cogitari potest. Quod si quis statuerit, etiam de amphora illa Etrusca paullo aliter iudicandum erit, nimirum Charonem utpote mortis appropinquantis imaginem ab ipso artifice additum esse, Minervam cum Aiace loqui eique fatalem illam corporis partem indicare. Sed utrumvis statuatur, id certe evicisse mihi videor amphorae illius imaginem rectius ad Aeschylum quam ad Sophoclem referri, neque casu factum esse puto, quod iterum in Etrusco opere fabulae Aeschyleae vestigia deprehendimus.

Tertium vasculum, et ipsum Etruscum, quod Heydemannus l. l. p. 61 delineandum curavit, consulto neglexi. Nam et antiquius est quam quod a tragoedia pendere possit, et mulier, quae ibi ad morientem heroem accurrit, non pro dea aliqua, sed pro Tecmessa habenda est, id quod iam Heydemannus statuit.

In **Phrygibus** constat Aeschylum Hectoris corpus auro expensum fecisse, cui inventioni ansam praebebant verba illa, quibus Achilles apud Homerum Hectora morientem increpat postulantem ut corpus post mortem parentibus tradatur: *οὐδ' εἴ κεν σ' αὐτὸν χρυσῷ ἐρύσασθαι ἀνώγοι Δαρδανίδης Πρίαμος.* Hanc fabulam secuti et amphorae Tarentinae[1]) pictor et opifices Romani[2]) Hectora expresserunt libra examinatum eademque imagine Virgilius fingit Junonis templum Carthaginiense ornatum (Aen. I 484). Quod in sarcophago Ephesio Andromacham cum Astyanacte et Hecubam adiectas videmus, id

[1]) Exemplar expressum est Mon. d. Inst. V 11. Copiosius de amphora haud integra disputaverunt Benndorf in Annalibus Instituti 1866 p. 249 ss. Petersen in Diario archaeologico XXXVII 1879 p. 16. Robert, Bild u. Lied p. 96. 142. [2]) cf. poculum argenteum Raoul Rochette Mon. inéd. 52. Overbeck Gall. her. Bildw. 12 et sarcophagum Romanum Woburn Abbey (Robert, Sarkophag-Reliefs II 47 c).

ad Aeschyleam tragoediam referendum non esse Robertus monuit (Sarkophag-Reliefs II p. 61).

Ad **Sphingem** fabulam satyricam acute rettulit Crusius[1]) paterae picturam, quae silenum exhibet, qui Sphingis acumen tentat, vivamne an mortuam avem rogans in manu detegat. Ambigua nimirum quaestio est, nam si Sphinx mortuam dixerit, silenus ostentabit vivam; sin vivam, complectendo necabit avem silenus, priusquam manum aperiat.

Transeo ad ea monumenta, quae nova et graviora de deperditis fabulis nos docere videantur, ad Prometheum solutum, ad Nioben, ad Lycurgeam spectantia. Atque ut a **Prometheo** incipiamus, iam dudum constat et a Milchhoefero[2]) luculenter expositum est omnia ea monumenta quae Prometheum ad Caucasum vinctum demonstrant, ex Aeschyli tragoedia pendere, cum ante eam Prometheus ad palum vinctus Hesiodo auctore dictus atque hoc modo in antiquioribus vasis pictus sit.[3]) Commemoro Panaeni in templo Jovis Olympii picturam (Pausan. V 11, 6), quo nullum exstat antiquius exemplum, quanta Aeschylus auctoritate in artifices fuerit; deinde inter ea quae nobis servata sunt monumenta egregium illud opus marmoreum in arce Pergamenorum erutum, parietes Pompeianos, sarcophagos denique Romanos. At multo ampliora et graviora suppeditant duo specula Etrusca.[4]) Alterum Prometheum vinctum inter Herculem et Apollinem exhibet; alterum, quod multo elegantiorem prae se fert stilum, solutum cum Hercule et Castore coniungit. Prometheus, qui salice coronatus est, anulum a Castore accipit. Aquila deiecta ante Herculis pedes iacet. Nomina figurarum in utroque speculo adscripta sunt. Quae monumenta re vera ad Aeschyli Prometheum solutum referenda esse priusquam ostendam, nonnulla quae aliunde de hac fabula comperta habemus, breviter percensebo.

---

[1]) Commentationes in honorem Joannis Overbecki p. 102 ss.
[2]) Berliner Winckelmannsprogramm 1882. [3]) vid. Hubert Schmidt Observationes archaeologicae in carmina Hesiodea. Diss. phil. Hal. XII.
[4]) Vorlegeblätter D X 4, 5.

Constat igitur in hac fabula Herculem aquilam deiecisse, id quod in scaena vel ut rectius dicam in orchestra factum esse et per se patet et verba confirmant, quibus ille Apollinem appellat sagittam missurus (fr. 200). Eundem ipsum Titanem catena liberavisse Apollodorus narrat II 5, 11, 10 *καὶ τὸν Προμηθέα διέλυσε* (sc. *Ἡρακλῆς*) *δεσμὸν ἑλόμενος τὸν τῆς ἐλαίας, καὶ παρέσχε τῷ Διὶ Χίρωνα θνήσκειν [ἀθάνατον] ἀντ' αὐτοῦ θέλοντα*; Hyginus, fab. 144 „hanc aquilam post triginta annos (l. ‚triginta milia annorum' coll. Astr. II 15) Hercules interfecit eumque liberavit"; Paus. V 11, 6 *λέγεται γὰρ δὴ καὶ τόδε ἐς τὸν Ἡρακλέα, ὡς ἀποκτεῖναι μὲν τὸν ἀετὸν, ὃς ἐν τῷ καυκάσῳ τὸν Προμηθέα ἐλύπει, ἐξέλοιτο δὲ καὶ αὐτὸν Προμηθέα ἐκ τῶν δεσμῶν.* Quorum cum testimoniis consentit gravissimus auctor ipse Aeschylus in Vincto, ubi Herculem se esse soluturum satis plane Titan praefatur v. 769 s:

ΙΩ. τίς οὖν ὁ λύσων σ' ἐστὶν ἄκοντος Διός;
ΠΡ. τῶν σῶν τιν' αὐτὸν ἐκγόνων εἶναι χρεών.

Quo modo Herculis partes in liberando Titane circumscriptae fuerint infra disputabo. Quod vero Jo miratur atque ipse Prometheus et hic tacite concedit et aliis locis certe affirmat[1]) invito Jove liberationem factum iri, id in Soluto profecto aliter evenisse constat. Neque enim sine Jovis consensu Prometheum solutum esse et per se consentaneum est et eo confirmatur, quod quas conditiones liberationis Juppiter in Vincto tulit, eis in Soluto Titanem subisse certa testimonia prostant. Nempe quae in Vincto Mercurius dicit v. 1026 sqq

τοιοῦδε μόχθου τέρμα μή τι προσδόκα,
πρὶν ἂν θεῶν τις διάδοχος τῶν σῶν πόνων
φανῇ, θελήσῃ τ' εἰς ἀναύγητον μολεῖν
Ἅιδην κνεφαῖά τ' ἀμφὶ Ταρτάρου βάθη

ei condicioni in Soluto satisfactum esse Apollodorus docet l. l. *καὶ παρέσχε (Ἡρακλῆς) τῷ Διὶ Χίρωνα θνήσκειν [ἀθάνατον]*

---

[1]) cf. imprimis versus 989 sqq.

οὐκ ἔστιν αἴκισμ' οὐδὲ μηχάνημ' ὅτῳ
προτρέψεταί με Ζεὺς γεγωνῆσαι τάδε
πρὶν ἂν χαλασθῇ δεσμὰ λυμαντήρια.

ἀντ᾽ αὐτοῦ θέλοντα. Neque minus oraculum illud a matre acceptum Titanem ad id tempus vinctum patefecisse luculentus testis exstat Philodemus in libro de pietate scripto (p. 41 apud Gomperzium): *καὶ τὸν Προμηθέα λύεσθαί φησιν Αἰσχύλος ὅτι τὸ λόγιον ἐμήνυσεν τὸ περὶ Θέτιδος, ὡς χρεὼν εἴη τὸν ἐξ αὐτῆς γεννηθέντα κρείττω καταστῆναι τοῦ πατρός.* Herculem nimirum liberatorem suum fore Prometheus sciebat; quod utrum invito Jove an consentiente eventurum esset Tellus filio non indicaverat.

Ut cum Jove res ageretur nuntium quendam ab illo legatum prodire necesse erat; nam Herculi tum quidem aditus ad Olympum nondum patebat. Eundem de Chironis morte vicaria tractare oportebat, eundem vaticinium de Thetidis nuptiis accipere, eundem narrare Jovem Titanem catenis liberaturum esse. Idem quin anulum digito Promethei inseruerit vix iam dubitari potest. Quemnam vero gravissimo illo praeclarissimoque munere functum esse statuamus? De Mercurio, quem in proxuma fabula a Prometheo non sine acerbissimis facetiis repulsum videmus, ne cogitari quidem licet neque Oceanum iterum officium suum praebuisse verisimile esse videtur. Maiore iure de Apolline cogitari potest. Quamquam is quoque ex iuniorum deorum numero est, quos quam sperneret Prometheus in priore fabula non reticuit. Ecce Castorem offert speculum Etruscum. An opificis libidine id factum esse ducamus? Sane si quis hoc inventum accurate perpenderit, tam egregie excogitatum inveniet, ut ad summum poëtam id revocare non dubitet. Castor nimirum ab ipso Jove ex mortali matre procreatus primus omnium hominum caelum meruit, e mortali immortalis, ex homine deus factus est. Quae eadem sors Herculem manet. Nam iam non spernit Juppiter genus hominum nedum perdere velit, ut antea cum unus Prometheus ei obsisteret et ab Jovis ira homines defendere conaretur, unde omnis inter deum ac Titanem controversia orta est. Videas versus 231—241:

βροτῶν δὲ τῶν ταλαιπώρων λόγον
οὐκ ἔσχεν οὐδέν᾽, ἀλλ᾽ ἀϊστώσας γένος
τὸ πᾶν ἔχρῃζεν ἄλλο φιτῦσαι νέον.
καὶ τοῖσιν οὐδεὶς ἀντέβαινε πλὴν ἐμοῦ.

ἐγὼ δ᾽ ἐτόλμησ᾽· ἐξελυσάμην βροτοὺς
τὸ μὴ διαρραισθέντας εἰς Ἅιδου μολεῖν.
τῷ τοι τοιαῖσδε πημοναῖσι κάμπτομαι,
πάσχειν μὲν ἀλγειναῖσιν, οἰκτραῖσιν δ᾽ ἰδεῖν.
θνητοὺς δ᾽ ἐν οἴκτῳ θέμενος, εἶτ᾽ οἴκτου τυχεῖν
οὐκ ἠξιώθην αὐτός, ἀλλὰ νηλεῶς
ὧδ᾽ ἐρρύθμισμαι, Ζηνὶ δυσκλεὴς θέα.

Immo nunc ipsos suos filios ex mortalibus matribus creatos Juppiter hominibus et lumina virtutis et salutis auctores instituit. Etiam cum Titanibus pacem iniit, qui nunc ipsi soluti in scaena adsunt. Totus mundus pacatus est; non severum crudelemque tyrannum, ut Prometheus clamaverat, sed clementem gubernatorem atque benignum patrem Juppiter se praestitit. Unus in antiquo odio perseveravit Prometheus. Cuius ira huic toti tam beato ordini rerum tam periculosa ut flectatur, quis melius efficere potuit quam Castor, Jovis in mortales benevolentiae luculentissimum exemplar? Accedit quod similitudo quaedam Castoris Pollucisque consuetudine cum Prometheo et Chirone intercedit, quam in suum usum poëta convertere potuit. Ne Pollux apud inferos semper moraretur, Castor alternis diebus cum illo sub terra, ille cum Castore in caelo morabatur: similiter pro Prometheo centaurus insanabili vulnere laborans ultro ad Orcum descendit. Denique neminem fugit quam egregie hic alterius fabulae exitus cum prioris fabulae initio consentiat. In Vincti prologo Robur et Potestas immania numina procedunt, ut vinciendum Titanem curent. In Soluti exitu Castor et Pollux — nam quin coniuncti dei ut in Electra Helenaque Euripideis progressi sint dubitari nequit — ad solvendum Prometheum accurrunt, *οἱ σωτῆρες, οἱ παρὰ μικρόν,* quibus epithetis ornati a Graecis colebantur. Quae omnia qui consideraverit certo opinor non audebit Castorem mera opificis libidine huic scaenae insertum esse affirmare, eum easdem apud Aeschylum partes habuisse statuere non dubitabit.

At iam de exitu fabulae difficultas se nobis inculcat. Quonam enim modo putas Prometheum vinculis solutum esse? An tibi persuades id spectatores omnino non in scaena vidisse? In Vincto simulacro ad saxum affixo actorem qui Promethei partes

gereret — eundem scilicet qui antea Vulcani personam induerat — sub saxo latentem versus pronuntiavisse inter peritos opinor constat. Neque minus certum est duobus tantum actoribus ad fabulam agendam opus fuisse, cum Robur Oceanus Jo Mercurius ab eodem actore agi possent. Utramque rationem etiam ad Solutum valere vel maxime verisimile est. Efficitur igitur non ipsum Promethei actorem sed simulacrum illud aut a choro Titanum aut a Castoribus in exodo fabulae e scaena elatum esse, ut inlatum erat a Robure et Potestate, neque Prometheum cum solutus esset ullum amplius versum dicere potuisse. Silentii multas sane causas poëta effingere potuit; memineris quam lepide eandem difficultatem Euripides solverit in fine Alcestis. At quis est qui vincula Promethei ruperit? Castores catenas expedivisse et cuneum e corpore Titanis extraxisse haud ita verisimile est neque Hercules quidem hoc munere fungi potuit; nam si recte disputavi duos actores fabulae agendae satisfecisse, eum necesse erat a scaena recedere priusquam Castores prodirent. Neque sane per se consentaneum est eum vincula rupisse, quae inexplicabilia Vulcanus nexuerat. Quid vero? Nonne ipse Aeschylus in Vincto indicat Herculem Prometheum esse soluturum (v. 770 ss.)? Concedo. At mimine dicit poëta suis ipsius manibus Herculem vincula rupturum esse. Immo qui aquilam deiecerit, qui rigorem Promethei solverit, qui ostenderit, quo modo Titan cum Jove conciliari possit, nonne is satis bono iure *ὁ λύσας* dici videtur? At dixi opinor supra eius nomen, qui simulacrum a saxo refixerit. Qui pepigit vincula nimirum laxavit Vulcanus! Memineris velim quam alias partes is in Vincto susceperit ac ceteri iuniores dei, quorum et interpres Mercurius et ministri Robur atque Potestas superbiam iramque in infelicem Titanem erumpunt. Videas Vulcani verba

v. 19. *ἄκοντά σ' ἄκων δυσλύτοις χαλκεύμασιν*
προσπασσαλεύσω τῷδ' ἀπανθρώπῳ πάγῳ.

34. *Διὸς γὰρ δυσπαραίτητοι φρένες·*
ἅπας δὲ τραχύς, ὅστις ἂν νέον κρατῇ.

66. *αἰαῖ, Προμηθεῦ, σῶν ὑπὲρ στένω πόνων.*

Quod quam ob rem poëta sic instituerit apparet. Narrat enim scholiastes ad Sophoclis Oedipum Coloneum v. 56 Prometheum cum Vulcano in aede in Academia sita coniunctum fuisse[1]) atque quin in novissima trilogiae fabula de eo cultu poëta locutus sit post Westphali egregiam commentationem[2]) vix dubitari potest. Vulcanum igitur qui omnium maxume Titanis casum doluerat post reconciliatam Jovis gratiam primum accessisse ut quae invitus pepigerat vincula laetus expediret apparet quam optime coniciamus.

Sic igitur de altera fabulae parte statuo Herculem sive post aquilam deiectam sive ante docuisse Prometheum longe alium ac in proxuma fabula ille praedixerat Jovem se praestitisse, et cum Jonis quoque antea infelicis faustissimo concubitu enarrato tristem Titanis animum commovisset illum ad Geryonem iter continuasse, cuius et modos et fata paullo ante Prometheus narraverat (fr. 193—199). Hercules postquam recessit stasimon interponitur, Titan Jovem appellat, iterum chorus cantat. Tum Castores procedunt, quorum alterum mutua quae dicitur persona egit, alterius partes idem qui Herculis personam antea induerat actor suscepit. Qui postquam Promethei invidiam prorsus placaverunt atque vaticinium illud de Thetidis nuptiis acceperunt, ipse Titan petivisse videtur, ut in vinculorum memoriam lygi corona sibi imponeretur. Id enim evinci licet ex Athenaei narratione XV 672 *E*: *ἱστορεῖται — θεσπίσαι τὸν Ἀπόλλωνα ποινὴν αὐτοὺς (τοὺς Κᾶρας) ἀποδοῦναι τῇ θεῷ δι' ἑαυτῶν ἑκούσιον καὶ χωρὶς δυσχεροῦς συμφορᾶς, ἣν ἐν τοῖς πρόσθεν χρόνοις ἀφώρισεν ὁ Ζεὺς τῷ Προμηθεῖ χάριν τῆς κλοπῆς τοῦ πυρός, λύσας αὐτὸν ἐκ τῶν χαλεπωτάτων δεσμῶν· καὶ τίσιν ἑκούσιον ἐν ἀλυπίᾳ κειμένην δοῦναι*

[1]) Verba eius descripsi: *τιτὰν Προμηθεὺς] περὶ τοῦ τὸν Προμηθέα περὶ τὴν Ἀκαδήμειαν καὶ τὸν Κολωνὸν ἱδρῦσθαι, Ἀπολλόδωρος γράφει οὕτω. συντιμᾶται δὲ καὶ ἐν τῇ Ἀκαδημείᾳ τῇ Ἀθηνᾷ, καθάπερ ὁ Ἥφαιστος. καὶ ἔστιν αὐτοῦ παλαιὸν ἵδρυμα καὶ βωμὸς ἐν τῷ τεμένει τῆς θεοῦ. δείκνυται δὲ καὶ βάσις ἀρχαία κατὰ τὴν εἴσοδον, ἐν ᾗ τοῦ τε Προμηθέως ἐστὶ τύπος καὶ τοῦ Ἡφαίστου. πεποίηται δὲ (ὡς καὶ Λυσιμαχίδης φησὶν) ὁ μὲν Προμηθεὺς πρῶτος καὶ πρεσβύτερος, ἐν δεξιᾷ σκῆπτρον ἔχων, ὁ δὲ Ἥφαιστος νέος καὶ δεύτερος. καὶ βωμὸς ἀμφοῖν κοινός ἐστιν ἐν τῇ βάσει ἀποτετυπωμένος.* [2]) vid. eius librum Prolegomena zu Aeschylos Tragödien, p. 207 ss.

θελήσαντος, ταύτην ἐκείνῳ ἐπιτάξαι τὸν καθηγούμενον τῶν θεῶν. ὅθεν αὐτίκα τὸν δεδηλωμένον στέφανον (i. e. de qua antea auctor locutus est lygi corona) *τῷ Προμηθεῖ περιγενέσθαι καὶ μετ' οὐ πολὺ τοῖς εὐεργετηθεῖσιν ἀνθρώποις ὑπ' αὐτοῦ κατὰ τὴν τοῦ πυρὸς δωρεάν.* Ex Aeschyli fabula haec pendere nostro iure conicimus cum paullo post (674 D) idem auctor narret: *Αἰσχύλος δ' ἐν τῷ Λυομένῳ Προμηθεῖ σαφῶς φησιν ὅτι ἐπὶ [τε] τιμῇ τοῦ Προμηθέως τὸν στέφανον περιτίθεμεν τῇ κεφαλῇ, ἀντίποινα τοῦ ἐκείνου δεσμοῦ.* Videtur igitur Castor non solum ipsi Prometheo morem gessisse, sed etiam praedixisse homines posthac in honorem Titanis, qui eorum gratia tot tanta supplicia tulisset, coronas laturos esse. Anulum quoque de quo Plinius N. H. XXXVII 2, Servius ad Virg. Ecl. VI 42, Hyginus p. astr. II 15, Isidorus Orig. XIX 32 alii protuerunt apud Aeschylum hoc loco commemoratum esse vel maxime verisimile est. Silentio Titani imposito Vulcanus cum ferramentis processit, ut vincula expediret. Eius partes ut idem actor gereret, qui Promethei personam antea egerat, etiam nullo stasimo interposito facile fieri potuisse proxima fabula docet, in qua eadem condicio inter Promethei Vulcanique personas intercedit.

Quae si recte disputavimus speculum a quo profecti sumus ab Aeschylo pendere apparet. Duas scilicet ut fit fabulae scaenas in eo coniunctas videmus, id quod hic summo iure opifex effecit, cum pro ministro Vulcano verum liberatorem Herculem substituere vellet. Quid vero de priore parte fabulae statuamus? Nimirum Herculem iam in primo episodio prodiisse nullam habet veritatem neque cum choro Titanum tantum Prometheum egisse facile nobis persuademus. Jovis legatum progredi debuisse opinor, qui rogaret num tot saeculorum suppliciis fractus nunc demum Titan secretum aperire vellet. Quo repulso magis eminere debebat cum Herculis Castorumque virtus, qui tantum rigorem solverent, tum Promethei firmus animus, qui Jovis voluntati morem non gereret, nisi cum comperisset novum deum benignum mundi gubernatorem se praestitisse. Profecto in initio Soluti indefectam fuisse Titanis firmitatem fragmentum 193 docet a Cicerone in Latinam linguam translatum. Quisnam vero hoc munere potuit fungi? Ecce Apollinem

offert alterum speculum Etruscum. Nullus sane ad id de quo diximus munus magis accommodatus! Procedit Jovis legatus, ut de Telluris vaticinio cum Prometheo agat. Iam vero in novo illo ordine rerum Tellus praefandi munere semet abdicavit, Apollo in eius locum successit. Quid mirum quod novus vates decessoris fatale oraculum investigare cupit? Itaque ne hanc quidem figuram ab opifice temere adiectam esse non sine quadam probabilitate statuere videmur. Quod Herculem cum Apolline coniunctum cernimus, idem fecit noster ac alterius speculi opifex: duas fabulae scaenas in unam confudit. Utrumque igitur speculum ab Aeschyli fabula accurate pendere duco.[1])

Subieci Vincti et Soluti iuxta compositos ordines scaenarum:

	Πρ. δεσμώτης	Λυόμενος
Prologus:	Ἥφαιστος, Κράτος Βία } κωφὰ Προμηθεύς } πρόσωπα. Προμηθεύς	Προμηθεύς
Parodos:	χορὸς Ὠκεανίδων	χορὸς Τιτάνων
Episodium primum:	Προμηθεύς, Ὠκέανος	Προμηθεύς, Ἀπόλλων
Stasimum primum:	χορός	χορός
Episodium alterum:	Προμηθεύς	Προμηθεύς, Ἡρακλῆς
Stasimum alterum:	χορός	χορός
Episodium tertium:	Προμηθεύς, Ἴω	Προμηθεύς
Stasimum tertium:	χορός	χορός
Episodium quartum:	Προμηθεύς, Ἑρμῆς	Προμηθεύς, Κάστωρ, Πολυδεύκης κ. πρ. Ἥφαιστος, Κάστωρ, Προμηθεύς κ. πρ., Πολυδεύκης κ. πρ.

Exodus.

---

1) In Vincti catalogo personarum Herculis et Telluris nomina occurrere constat, quae ex Soluti personarum conspectu illuc irrepsisse putaverunt. Sane fieri potuit, ut Tellus in hac fabula procederet neque ullo negotio eius partes ordini et rerum et actuum inserere possumus. At concedo nimis infirmo fundamento hanc coniecturam niti mihi videri. Certe nullo modo testimonium illud cum eis certat, quae supra disputavi.

Transeamus ad **Nioben**. Edidit et illustravit Heydemannus musei Neapolitani amphoram[1]), quae etsi nullo dubio ad Niobes fabulam referenda esse videtur, tamen vehementer discrepat cum omnibus quae ad eius fata spectant monumentis. In aedificio columnis innixo mulierem cernimus, quae altera manu capiti imposita alteram ad pectus movens geminata summi doloris indicia prae se ferre videtur. Juxta aedificium a dextra advenit rex quidam senex, qui summo cum ardore mulieri illi aliquid persuadere studet. Regem esse illum et sceptrum docet et doryphorus eum secutus. Ab altera parte matrona considet capite velato, quae et ipsa ad mulierem illam verba facit. Complures circumsident virgines, quae cistas mundumque muliebrem in manibus habent. Laguncula calathus cithara thorax humi iacent. Denique in superiore amphorae parte hic Juppiter cum Mercurio, illic Latona considet cum liberis suis satis puerili aetate effictis.

Nioben et Tantalum patrem artificem pingere voluisse iam Heydemannus perspexit, qua de re Latona cum liberis omnem dubitationem tollunt. Sed quid tota pictura sibi vellet, mirum in modum eum fugisse videtur. Dixit enim: „Dass Niobe gestorben in der Unterwelt sich aufhalte, war eine Sagenwendung, die neben der geläufigen Steinwerdung bei den Alten hier und da umlief, wie wir aus einigen, wenngleich späteren Andeutungen schliessen müssen. Diese Sage kannte der Maler des neapolitanischen Gefässes und stellte den Tod der Niobe dar, indem er sie lebend, den Tod erwartend, ins Grabmal ihrer Kinder sich zurückziehen lässt. ... Mit der Sage der Niobe wohl vertraut, sah er sich durch die Schablone der Totendarstellungen, die er für die Darstellung wählte, und durch die Beschränktheit seiner Kunstmittel genötigt, von dem gewöhnlichen Ende der Sage abzugehen und sie so umzubilden, wie das ruvesische Vasenbild sie darbietet.“ Sane quidem eandem speciem hanc picturam praebere ac magnam illam classem Tarentinorum vasorum, in quibus aedificia sepulcralia mortuorumque cultum effingebant, concedo neque id quidem fefellit Heydemannum

[1]) Berichte der sächs. Gesellschaft der Wissenschaften 1875 p. 218 tab. IV. cf. eiusdem vasorum Neapolitanorum catalogum nr. 3246. Vas est eius classis, quam *a candelabro* vocant.

liberorum sepulcrum pictorem fingere voluisse. At quod dicit ipsum opificem in suum usum hanc fabulae formam invenisse, excidit ei memoria Niobae Aeschyleae, cum qua accurate consentiunt, quae hic picta videmus. Quam necesse est accuratius inspiciamus, ut ab ea picturam pendere comprobem.

De initio fabulae servatum est testimonium vel maxime probabile idemque aliorum scriptorum auctoritate confirmatum[1]) eius qui vitam Aeschyli descripsit: *διὰ τὸ πλεονάζειν τῷ βάρει τῶν προσώπων κωμῳδεῖται παρ' Ἀριστοφάνει· ἐν μὲν γὰρ τῇ Νιόβῃ ⟨Νιόβη⟩ ἕως τρίτου μέρους ἐπικαθημένη τῷ τάφει τῶν παίδων οὐδὲν φθέγγεται ἐγκεκαλυμμένη.* Quibus ex verbis ut conici licet fabulam ipsam mortem liberorum, quos bis septem Aeschylum numeravisse schol. Eurip. Phoen. 159 commemorat, non exhibuisse, sed a maerore matris orbae principium duxisse, ita ipse scaenae habitus atque aspectus inde intellegi possunt. In media orchestra spectatores liberorum Amphionis tumulum modo exstructum conspiciebant, in quo Niobe capite velato considens dolori indulgebat, cum circa tumulum chorus Tantali filiae culpam iramque deorum caneret. Amphionis domum regiam in scaena conspectam esse neque ex reliquiis fabulae evinci potest et certa quadam causa, de qua infra data opera dicam, excludi videtur. Immo ante portas Thebarum, ubi re vera erat[2]), poëtam tumulum liberorum Amphionis finxisse statuimus. Nam scaenae locum Thebis esse poëtam voluisse, non in Lydia, ut Hermannus opinatus est[3]), ipse hic tumulus docet. Eandem igitur fere scaenam animo tibi effingas, qua in Persis et Prometheo poëtam usum esse ipsae fabulae servatae docent.

Iam cetera quae de fabula e fragmentis disci possunt, consideremus. Chorum ex virginibus Lydiis constitisse Hermannus et Weckleinius collegerunt ex fragmento 155

Ἴστρος τοιαύτας παρθένους ἐξεύχεται
τρέφειν ὅ θ' ἁγνὸς Φᾶσις.

---

[1]) vid. Aristoph. Ran. 911. schol. Aesch. Prom. 452. Eustath. Il. p. 1343, 62. [2]) vid. Pausan. IX 16, 7. [3]) In dissertatione de Aeschyli Niobe 1823. = Opusc. III 37 ss.

At virgines quae ad Istrum et Phasin habitant neque ipsae Lydiae sunt neque quibuscum Lydiae comparari possint, sed Amazones. Quae vero Amazonibus conferantur necesse est sint bellatrices vel bellatricum saltem more vestitae. Apparet verba illa de nulla alia virgine aptius dici posse quam de Diana atque ad narrationem necis Niobidarum hos versus referendos esse puto. Chori vero partes quinam susceperint ex ipsis fabulae reliquiis evinci nequit.

Praeter Nioben Tantalum quoque in hac fabula prodiisse Plutarchi testimonio (de exilio c. 10 p. 603 A) constat; cuius verba sunt quae idem Plutarchus et plenius Strabo XII 580 servavit fr. 158

σπείρω δ' ἄρουραν δώδεχ' ἡμερῶν ὁδόν
Βερέκυντα χῶρον, ἔνθ' Ἀδραστείας ἕδος
Ἴδη τε μυκηθμοῖσι καὶ βρυχήμασιν
βρέμουσι μήλων, πᾶν δ' ἐπιρροθεῖ πέδον.[1])

Sed hanc divitiarum descriptionem mox secuta est miserrima lamentatio fr. 159.

οὑμὸς δὲ πότμος οὐρανῷ κυρῶν ἄνω
ἔραζε πίπτει καί με προσφωνεῖ τάδε·
γίγνωσκε τἀνθρώπεια μὴ σέβειν ἄγαν.

Nam hos versus priores illos non nimis longo intervallo excepisse Plutarchus diserte testatur. Utrum filiae tantum miserias rex lamentatus sit an domestico luctu afflictus advenerit — licet de Jovis ira Pelopisve sorte cogitemus — id accuratius quaerere mitto: satis multa de colloquio patris infelicis cum filia infeliciore aperta prostant. Nam modo consideremus et spectatorum causa et secundum artis Aeschyleae leges necesse fuisse accuratius de liberorum nece ceterisque Niobae rebus adversis proferretur, neque tamen praeter Tantalum quemquam prodiisse quin ea fata aspectu praesentiaque sciret, apparet ipsi patri Nioben longius narravisse quis sibi casus evenerit. Ad hanc necis narrationem fr. 155, quo Dianae habitus describatur, spectare supra dixi, ad eandem refero fr. 160

[1]) *βρέμουσι* Casaubonus, libri *ἕρπουσι*. *ἐπιρροθεῖ* Goerlitz, libri *ἐρέχθει*, Meineke *ἐρέχθεται*.

καὶ δόμους Ἀμφίονος
καταιθαλώσω πυρφόροισιν αἰετοῖς.[1])

Haeserunt quidem in *καταιθαλώσω*, cum Jovem ipsum in scaenam progressum esse negarent. Sed recte Hermannus monuit minime necesse esse hanc verbi formam Aeschylo vindicare, cum Aristophani hi versus debeantur, qui in suum usum Aeschyli verba mutare potuerit. Sane Jovem, cum fulmine esset regiam exstincturus, de hac re antea regem certiorem fecisse nullam habet speciem veritatis. Conicio igitur apud Aeschylum *κατηθάλωσε* scriptum fuisse et ex narratione de Amphionis fatis versum haustum esse. Iam vides cur domum regiam in scaena conspectam esse supra negaverim.[2])

Quonam scelere Amphion in patris iram inciderit nescimus. In Minyade in eorum numero erat, qui apud inferos peccatorum poenas solvunt (Pausan. IX 5, 8). Ovidius sua manu eum fecit occidentem Metam. VI 271

Nam pater Amphion ferro per pectus adacto
Finierat moriens pariter cum luce dolorem.

Apud Hyginum ab Apolline sagittis interficitur, cum liberis necatis templum eius expugnare audet (fab. IX). Item Apollodorus III 5, 6 *ἐτοξεύθη δὲ καὶ Ἀμφίων*. Quomodo apud Aeschylum mors eius ficta fuerit, incertum est; nam non solum regiam, sed ipsum regem fulmine Jovis ictum esse ex versibus allatis minime consequitur neque veri simile est Jovem ipsum filium suum necavisse. Haec tamen nostro iure sumere nobis videmus et Amphionem inde ab initio fabulae mortuum fingi et Jovem ipsum, non Letoides tantum, perniciem Tantali filiae confecisse. Quod ut Tantali fatis Amphionis similia efficeret poëtam finxisse verisimile esse videtur.

Praeter haec a Niobe patri narrata qua ratione colloquium Tantali cum filia processerit coniectura tantum assequi possumus.

---

[1]) Aristoph. Av. 1247:

ΠΕΙΣΘ. ἆρ' οἶσθ' ὅτι Ζεὺς εἴ με λυπήσει πέρα
μέλαθρα μὲν αὐτοῦ καὶ δόμους Ἀμφίονος
καταιθαλώσω πυρφόροισιν αἰετοῖς;

ubi vetus interpres: *καὶ δόμους Ἀμφίονος*] *ἐκ Νιόβης Αἰσχύλου.*

[2]) vid. p. 129.

Niobe videtur summo dolore oppressa in tumulo liberorum perseverare voluisse; monet pater mortem nullo modo placari posse, scilicet ut mortui ad lucem redirent fr. 161

> μόνος θεῶν γὰρ θάνατος οὐ δώρων ἐρᾷ,
> οὐδ' ἄν τι θύων οὐδ' ἐπισπένδων ἄνοις,
> οὐδ' ἔστι βωμὸς οὐδὲ παιωνίζεται·
> μόνου δὲ Πειθὼ δαιμόνων ἀποστατεῖ.

Videtur rex a filia petivisse, ut tumulum relinqueret, fortasse ut secum in Asiam reverteretur. Quod cum multis precibus non impetravisset, iracundus abiit fr. 157

> ἐφημένη
> τάφον τέκνοις ἔπωζε τοῖς τεθνηκόσιν.

Sic enim verba ab Hesychio tradita sunt. Licet scribas ἐπῷζε »lamentare«, id quod Nauckio placuit. At nullo modo ferri potest quod idem putat imperfectum pro imperativo esse intellegendum »lamentabatur«. Nam cum Niobe per totam fabulam in scaena adesset, quomodo feras quemquam narravisse quae ipsi spectatores suis oculis praesentia conspiciebant?

Enarravi fere quae ex ipsis reliquiis de fabula enucleari possunt; iam ad amphoram Neapolitanam revertamur. Videmus Nioben in sepulcro liberorum maerentem, Tantalum precibus eam adeuntem. Nonne mirum in modum haec cum Aeschylo consentiunt? Virgines quae tumulum adornant chori vices agere vix est quod moneam atque ex virginibus sive Lydis, quae aequales quondam reginae Nioben, cum Amphioni nuberet, prosecutae essent, sive Thebanis chorum constitisse inde statuimus. Neque ampliora petentem de fabulae argumento pictura deficit. Atque maxime quidem in quaestionem cadit anus illa a laeva parte aedificii considens et cum Niobe locuta. Vitae auctor tradit per tertiam tragoediae partem Nioben mutuam, pallio involutam in tumulo liberorum consedisse, frustra spectatores exspectavisse, quando tandem illa aliquid sit locutura (cf. supra p. 129). Atque etsi longissumis parodi canticis Aeschylum usum esse constat, tamen unquam tam mirae longitudinis parodum eum composuisse neque ullum exemplum prostat neque verisimile est. Quid igitur? Fidem auctori abrogemus? Minime sane. At statuimus ante

Tantalum personam quandam processisse, quae etsi multis verbis reginae instaret tamen ut responderet illa vel vocem emitteret non impetraret. Nimirum coram patre tandem, id est in sequente episodio, Niobe os aperuit. Hanc quam coniectura sumpsimus personam eandem esse mulierem quam in pictura considentem supra commemoravi vel maxime verisimile est. Quaenam vero sit illa haud facile statuamus. Ad nutricem reginae, de qua imprimis cogitaveris, nec habitus nec vultus satis nobilis quadrant, neque Heydemanni coniectura placet Tantali eam esse uxorem. Nam ea tam obscurae memoriae apud veteres fuit, ut apud Aeschylum illam ullas partes habuisse vix nobis persuadeamus. Certi quidquam pronuntiare nequaquam audeo, sed inter omnes quae a poëta induci potuerunt heroinas nulla sane ad partes illas suscipiendas aptior fuisse videtur quam Antiope Amphionis mater. Quam filii superstitem Aeschylum finxisse nullam sane habet offensionem. Haud scio an ad eius consolationes recte referam fragmentum 156, quo in deos omnem culpam transicere conatur

θεὸς μὲν αἰτίαν φύει βροτοῖς
ὅταν κακῶσαι δῶμα παμπήδην θέλῃ.

In superiore amphorae parte dei ultores conspiciuntur: Juppiter, qui Amphionis regiam fulgure inflammavit, Latona et liberi, qui Niobidis perniciem tulerunt. Qui quamquam sine dubio saepissime in tragoedia commemorabantur, tamen fabulae personae certo non fuerunt. Sed res dubia est in Mercurio. Potest ut solemnis Jovis satelles ultro a pictore adiectus esse; potest vero quoque in tragoedia Jovis iussu Nioben adiisse. Nam dummodo recte coniecerim Aeschylum haud minus quam in Niobae superbia iraque Latonae in ipsius Amphionis culpa et Jovis ultione versatam esse, veri non est dissimile nuntium eius progressum esse, qui narraret cur periissent *οἱ Ζηνὸς ἐγγύς, οἱ θεῶν ἀγχίσποροι.* Accedit quod Mercurius fidissimus mortui regis Amphionis patronus fuit, quem lyra donavit, cuius sono rex Thebarum muros erexit.[1]) Nemo igitur fuit magis accommodatus, qui Nioben in summo dolore consolaretur.

---

[1]) Hoc narraverunt Eumelus apud Pausaniam IX 5, 8 *ὁ δὲ τὰ ἔπη τὰ ἐς Εὐρώπην ποιήσας φησὶν Ἀμφίονα χρήσασθαι λύρᾳ πρῶτον*

Restat difficillima quaestio qua in solvenda cum fragmentorum tum monumentorum ope prorsus destituti esse videmur, quonam modo exitum fabulae poëta effecerit. Neque enim Tantalo contigit, ut filiam ex sepulcro eliceret, neque tamen Niobae licuit in orchestra remanere cum chorus scaenam reliquisset. Qua de re quid sentiam non sine haesitatione quadam proferam, cum opinioni meae viri et doctrina et ingenio excellentissimi auctoritas obstet. Nam quem locum Nauckius[1]) ab Aeschylo abiudicavit, relinquendum esse poëtae demonstrare conabor. Diogenes Laërtius enim habet haec de Zenone philosopho (VII 28): *ἐτελεύτα δὲ οὕτως. ἐκ τῆς σχολῆς ἀπιὼν προσέπταισε καὶ τὸν δάκτυλον περιέρρηξε. παίσας δὲ τὴν γῆν τῇ χειρὶ φησὶ τὸ ἐκ τῆς Νιόβης*

ἔρχομαι, τί μ' αὔεις;

Quae verba cum ad Aeschyli fabulam rettulisset Hermannus[2]), Timothei dithyrambo attribuit Nauckius allato loco Machonis apud Athenaeum VIII p. 341 C: *ὁ Τιμοθέου Χάρων σχολάζειν οὐκ ἐᾷ οὐκ τῆς Νιόβης, χωρεῖν δὲ πορθμίδ' ἀναβοᾷ, καλεῖ δὲ μοῖρα νύχιος.* Quae sententia viri doctissimi etsi primo obtutu satis adridet, tamen vereor ut stare possit. Quod ut demonstrem paullo longius repetam. Quamquam vulgaris fabula a clarissimis poëtis celebrata Nioben in saxum conversam esse, quod in monte Sipylo ostendebatur, narrabat, tamen non desunt testimonia, quae sive in Sipylo sive Thebis Nioben collocant, mutatione illa neglecta paullo post liberorum necem repentina morte reginam defunctam esse contendant. Primum eiusmodi testimonium exstat Timothei dithyrambus ›Niobe‹ iam supra commemoratus, cuis Charon reginam increpans a Machone irrisus est. Tum Augusti temporibus Antipater Thessalonicensis in quattuor versibus ipsam Nioben cum Charone loquentem fecit

μούναν σὺν τέκνοις νεκυοστόλε δέξο με πορθμεῦ
τὰν λάλον. ἀρκεῖ σοι φόρτος ὁ Τανταλίδος.

Ἑρμοῦ διδάξαντος. πεποίηκε δὲ καὶ λίθων καὶ θηρίων (.... lacunae signa posuit Schubartus) *ὅτι καὶ ταῦτα ᾄδων ἦγε* et Apollodorus III 5, 5 *Ἀμφίων δὲ κιθαρῳδίαν ἤσκει, δόντος αὐτῷ λύραν Ἑρμοῦ.*

[1]) Nauckium secutus est Weckleinius. [2]) l. l. p. 56.

πληρώσει γαστὴρ μία σὸν σκάφος. εἴσιδε κούρους
καὶ κούρας, Φοίβου σκῦλα καὶ Ἀρτέμιδος.

Denique in Oedipo Senecae (V. 613 s.) et apud Statium in Theb. IV 575 ss. Niobes animam in Orco versari narratur, unde eam fabulae formam, quae Nioben communi mortalium sorte obiisse facit, Romanis haud ignotam fuisse apparet.[1]) Quodsi reputas ex quattuor auctoribus, qui hanc fabulae speciem respiciunt, duos antiquiores in eo consentire, quod Nioben cum Charone loquentem fingunt, apparet ad carmen quondam celeberrimum neque vel Augusti temporibus prorsus ignotum hoc inventum redire. At ut Timothei dithyrambum hoc carmen fuisse putem nullo modo a me impetrare possum. Cuius etsi carmina auctoris aetatem longe superavisse constat, Romanis temporibus ea adeo vulgata fuisse, ut sententiae ex eis haurirentur non nominato poëta — id quod fecit quem Diogenes Laertius secutus est auctor — Niobeque dithyrambus ut unum exemplum eius fabulae narrationum afferretur, cum et Aeschylus et Sophocles in eodem argumento versati essent, id ut mihi persuadeam minime animum induco. At concedo hoc argumentum fortasse parum valere ad sententiam meam stabiliendam. Largior, quod sane minime puto, primum Timotheum Niobes illud cum Charone colloquium finxisse, at totam speciem non eius ingenio deberi apertissimum indicium exstat Euripidis Alcestis. Quo enim loco regina in scaenam procedit, ut iam ultimum solis luce fruatur, mentis iam fere alienata verba profert gravia severa

ὁρῶ δίκωπον, ὁρῶ σκάφος
νεκύων δὲ πορθμεὺς
ἔχων χέρ᾽ ἐπὶ κοντῷ Χάρων μ᾽ ἤδη καλεῖ· τί μέλλεις;
ἐπείγου. σὺ κατείργεις.
τάδε τοί με σπερχόμενος ταχύνει.

Timothei Euripidisque locos artissime inter se cohaerere apparet; aut Timotheus Euripidem imitatus est aut ab antiquiore quodam exemplo uterque pendet. Tum vero vix in eo haerere licet, utrum Timotheus Euripidis artem ad Aeschyli argumentum ampli-

[1]) Contra Seneca Agam. 372 ss. Hercul. Oct. 185. Hercul. fur. 390 s. vulgarem de Niobe in saxum versa narrationem profert. Statius Theb. 120 matrem liberorum urnas ad Sipylum deducentem facit.

ficandum transtulerit, an potius ipse Aeschylus pulcherrimo illo gravissimoque loco tragoediam ornaverit, Euripides Timotheusque eum sint imitati. Numeri fragmenti ad tragoediam quam maxime accommodati sunt, sive trimetri iambici

⏑ – ⏑ – ἔρχομαι, τί μ' αὔεις;

sive dochmiaci

⏑ – ἔρχομαι, τί μ' αὔεις ⏑ –

frustulum est. Puto igitur Euripidem in Alceste speciem clausulae Niobae Aeschyleae nobis praebere atque mortem reginae spectatores in scaena vidisse. Quam sententiam vel maxime confirmant quae aliunde de exitu fabulae conici possunt. Jam supra enim e fragmento 157 evicimus Tantalum solum infecta re indignabundum recessisse, Nioben Thebis remansisse. Quae sententia aliquantulum eis quoque probatur, quae Eustathius p. 1367, 20 dicit: *καὶ ἡ συμφορὰ δὲ αὐτῆς κατὰ μέν τινας ἐν Λυδίᾳ, κατὰ δέ τινας ἐν Θήβαις γενέσθαι λέγεται. Σοφοκλῆς δὲ τοὺς μὲν παῖδας αὐτῆς ἐν Θήβαις ἀπολέσθαι φησίν, αὐτὴν δὲ εἰς Λυδίαν ἐλθεῖν.* Mirum sane esset quod Aeschylum Eustathius silentio praeterisset, si is quoque in patriam reginam orbam recessisse finxisset. Quid ergo? Cum neque ipsum scaenae locum poëta in Asia collocaverit neque post mortem liberorum matrem in patriam redeuntem fecerit, quem tandem putas exitum fabulae fuisse? Narrat Ovidius Nioben Thebis in saxum mutatam ingenti tempestate in Asiam traductam esse. Quod aput Aeschylum quoque factum esse si quis sibi persuadere vult, is nobis explicet necesse est, quo modo tantum miraculum in scaena Aeschylea effici potuerit. Qui vero dicit non suis oculis spectatores illum Niobae exitum vidisse, sed Mercurium eum praedicere potuisse, ei remanet difficultas, quo modo ipsam Nioben poëta a scaena removerit. Equidem puto digniorem et arte sua et matris dolore fabulae exitum Aeschylum ita instituisse, ut post patris recessum et post colloquium cum Mercurio habitum Niobe non lamentata cum virginibus scaenam relinqueret, sed tot tantis casibus confecta desideratissimam mortem occumberet, corpus exanimatum a choro e scaena removeretur.

Jam ad totam fabulae compositionem si respicimus, inter antiquiores poëtae tragoedias eam referendam esse apparet.

Regia cum iam ante initium fabulae Jovis fulmine combusta esset, fabula sine scaena, i. e. sine domo in ultima parte orchestrae erecta acta est. Locus tumulo indicabatur, sepulcro Niobidarum, quod mediam orchestram occupavit, velut collis in Supplicibus, tumulus Darei in Persis, Cadmeae species in Septem, rupis in Prometheo, quibus de rebus summo cum fructu disputavit Wilamowitzius in admiranda de scaena Aeschylea dissertatione. Prologo fabulam caruisse affirmari licet; nam Nioben per trinam tragoediae partem tacuisse constat, quis vero coram illa prologum dicere potuerit intellegi nequit. Itaque a chori parodo fabula incepit, ut Supplices et Persae. Denique si modo in compositione restituenda verum videmus, a duobus actoribus fabula agi poterat, quorum alter Niobae alter Antiopae Tantali Mercurii partes agebat.

Venio ad eum numerum monumentorum, quae ad Lycurgeam Aeschyli vel, ut accuratius dicam, ad Neaniscos tertiam tetralogiae fabulam [1]) spectant. Quae priusquam enumerem recenseamque, quid de ipsius tetralogiae argumentis atque compositione statui possit accuratius est disputandum. Cui quaestioni qui primi operam dederunt aemuli in hac re partimque obtrectatores Welckerus [2]) et Hermannus [3]) uterque viam aperuit, materiam supportavit, multa recte perspexit, neuter adeo quaestionem perfecit, ut nunc quisquam comprobatis eorum sententiis acquiescat. Quae Rappius nuperrime de hac re protulit [4]) tantum non omnia discrepant cum iis quae equidem probaturum esse mihi videor.

Primum illud, quod **Edonis** Nauckius tribuit fragmentum, servavit Strabo X p. 470 (Cas.) *τούτοις δ' ἔοικε καὶ τὰ παρὰ τοῖς Θρᾳξὶ τά τε Κοτύττια καὶ τὰ Βενδίδεια, παρ' οἷς καὶ τὰ Ὀρφικὰ τὴν ἀρχὴν ἔσχε. τῆς μὲν οὖν Κοτυτοῦς ἐν τοῖς*

---

[1]) schol. Arist. Thesm. 135 *τὴν τετραλογίαν λέγει* (sc. *Ἀριστοφάνης*) *Λυκουργείαν, Ἠδωνούς Βασσαρίδας Νεανίσκους Λυκοῦργον τὸν σατυρικόν.* [2]) „Die äschylische Trilogie Prometheus etc." 1825. „Nachtrag zu der Schrift über die äschylische Trilogie" 1826. p. 103 ff. [3]) Leipziger Litteraturzeitung 1825. De Aeschyli Lycurgea dissertatio 1831 = Opusc. V p. 3 ss. [4]) Roscher Mythol. Lex. p. 2192 s.

Ἠδωνοῖς Αἰσχύλος μέμνηται, καὶ τῶν περὶ αὐτὴν ὀργάνων. εἰπὼν γὰρ

σεμνὰ Κοτυτοῦς ὄργαν' ἔχοντες[1])

τοὺς περὶ τὸν Διόνυσον εὐθέως ἐπιφέρει

ὃ μὲν ἐν χερσὶ βόμβυκας ἔχων
τόρνου κάματον δακτυλόδεικτον
πίμπλησι μέλος
μανίας ἐπαγωγὸν ὁμοκλ[ά]ν.
ὃ δὲ χαλκοδέτοις κοτύλαις ὀτοβεῖ

καὶ πάλιν

⏑ ⏑ – ψαλμὸς δ' ἀλαλάζει.
ταυρόφθογγοι δ' ὑπομυκῶνταί
ποθεν ἐξ ἀφανοῦς φοβεροὶ μῖμοι,
τυπάνου δ' εἰκὼν ὥσθ' ὑπογαίου
βροντῆς φέρεται βαρυταρβής.

ταῦτα γὰρ ἔοικε τοῖς Φρυγίοις· καὶ οὐκ ἀπεικός γε, ὥσπερ αὐτοὶ οἱ Φρύγες Θρᾳκῶν ἄποικοί εἰσιν, οὕτω καὶ τὰ ἱερὰ ἐκεῖθεν μετενηνέχθαι. καὶ τὸν Διόνυσον δὲ καὶ τὸν Ἠδωνὸν Λυκοῦργον συνάπτοντες εἰς ἓν τῶν ἱερῶν τὴν ὁμοιοτροπίαν αἰνίττονται.

Totam hanc disputationem, qua Phrygica et Thracica confundi demonstretur, Strabonem ex Apollodori de catalogo Homerico commentariis, illum ex Demetrii libro, qui τρωικὸς διάκοσμος inscriptus erat, deprompsisse Nieseius in Mus. Rhen. tom. XXXII p. 285 ss. et Gaedeius Demetrii Scepsii quae supersunt (diss. Gryph. 1880) evicerunt. Disputatio haud satis luculenta quid sibi velit paucis exponam. De Dionysi comitibus in fragmento dici et diserte Strabo indicat (τοὺς περὶ τὸν Διόνυσον εὐθέως ἐπιφέρει) et ex proximis versibus ταυρόφθογγοι etc elucet. Taurus enim Baccho sacer est, non Cotydi. Quid igitur sibi vult Cotydis mentio? Nimirum ex parodo fabulae versus sumpti sunt, ubi chorus Edonorum Dionysi comites describit, quos novos

[1]) libri σεμνὰ Κότυς ἐν τοῖς Ἠδωνοῖς, ὄρια δ' ὄργαν' ἔχοντες. Nauckius σεμνὰ Κοτυτοῦς ὄργι' ἔχοντες. ὄργανα scribendum esse cum Strabonis ipsius verba, quae antecedunt, tum Aeschyli versus, qui subsequuntur, probant. Instrumenta enim, quae ad Cotydis cultum spectant, describuntur.

advenas nemo antea viderat. Chorus nec nomen Dionysi novit nec ritus, sed comites eius scit eadem instrumenta musica gerere quibus ipsi Edoni in Cotyttus cultu utantur. Narrat igitur chorus venisse peregrinos quosdam homines *σεμνὰ Κοτυτοῦς ὄργαν᾽ ἔχοντας*. Itaque primum quidem edocemur chori partes non Dionysi comites suscepisse, sed Edonos, id quod iam ex titulo fabulae conici licebat. Dionysum, quem captivum inductum esse schol. Aristoph. Thesm. 135 demonstrat *λέγει δὲ ἐν τοῖς Ἠδωνοῖς πρὸς τὸν συλληφθέντα Διόνυσον*, non maenades tantum sed etiam viriles ministros sive satyros sive cultores humanos secutos esse verba *ὃ μὲν — ὃ δὲ* docent. Denique cum chorus in parodo Dionysi gregem bacchatam depingat, in prologo dei adventum in Thraciam narratum fuisse ut non necesse est ita tamen verisimile esse videtur. Quam coniecturam utique commendat fragmentum 59[1])

ὅστις χιτῶνας βασσάρας τε Λυδίας
ἔχει ποδήρεις

quod vix recte ad altercationem inter regem deumque factam rettulerunt. Nam profecto quo tempore haec verba dicuntur Dionysus in scaena adesse nequit. Ipsum igitur duco Lycurgum primum processisse et nuntio de novi dei adventu allato captum vinctumque illum produci iussisse. Quod Lycurgus in longa veste Bacchi iocatur, eo efficitur regem ipsum non Persicum vestimentum habuisse, quam speciem postea reges scaenicos usurpavisse constat, sed Thracica veste usum esse.

Iam postquam Dionysus vinctus in scaenam perductus est controversiam inter deum et Lycurgum factam esse docet imitatio servata apud Aristophanem in Thesmophoriacusis v. 144 ss.

καί σ᾽, ὦ νεᾶνις, ἥτις εἶ, κατ᾽ Αἰσχύλον
ἐκ τῆς Λυκουργείας ἐρέσθαι βούλομαι,
ποδαπὸς ὁ γύννις; τίς πάτρα, τίς ἡ στολή;
τίς ἡ τάραξις τοῦ βίου; τί βάρβιτος

---

[1]) Etym. M. p. 191, 5 *λέγονται βασσάραι χιτῶνες οὓς ἐφόρουν αἱ Θρᾴκιαι βάκχαι, καλούμενοι οὕτως ἀπὸ τοῦ βασσαρέως Διονύσου, ἦσαν δὲ ποικίλοι καὶ ποδήρεις. Αἰσχύλος ἐν Ἠδωνοῖς ‘ὅστις — ποδήρεις’.*

λαλεῖ κροκωτῷ; τί δὲ λύρα κεκρυφάλῳ;
τί λήκυθος καὶ στρόφιον; ὡς οὐ ξύμφορον·
τίς δαὶ κατόπτρου καὶ ξίφους κοινωνία;

Initium versus 136 ex Aeschylo repetitum esse vetus interpres affirmat *λέγει δὲ* (sc. *Λυκοῦργος*) *ἐν τοῖς Ἠδωνοῖς πρὸς τὸν συλληφθέντα Διόνυσον 'ποδαπὸς ὁ γύννις'*. Integrum illum versum ad Aeschylum reduxit Boettigerus neque in sequentibus versibus imitationis vestigia desunt. Si recte conicio Aeschylea esse utique verba *τί βάρβιτος λαλεῖ κροκωτῷ*, quibus Aristophanea *τί δὲ λύρα κεκρυφάλῳ* respondeant, efficitur Dionysum in Edonis musicae artis patronum exstitisse, quod quam apte cum totius tetralogiae ratione concinat infra apparebit.

Eidem scaenae recte tribuerunt fragmentum in scholiis *B* ad Iliadis *I* 339 servatum *Ξενοφῶντα δὲ γένος τι Ἰνδῶν φάναι χλούνην εἶναι, καθάπερ καὶ παρ' Αἰσχύλῳ ἐν Ἠδωνοῖς*

μακροσκελὴς μὲν ἆρα μὴ χλούνης τις ᾖ.

Cuius versus metri vitium ut sanarem etsi mihi non contigit, tamen te sententia nullus scrupulus remanet, cum *χλούνην* spadonem esse testimoniis ab interprete Iliadis collatis satis confirmetur. Certe removendum est quod Hermannus et Weckleinius cogitaverunt *χλούνην* esse animalium quoddam genus perlongis cruribus praeditum, sive araneam sive locustam, cum in loco allato pro *Ἰνδῶν* Hermannus *ἀκρίδων*, Weckleinius *ἐμπίδων* temptaret. Immo non est, quod fidem scholiastae abrogemus gentem quandam sive *Ἰνδῶν* sive *Σινδῶν*, ut Bergkius non sine quadam probabilitate coniecit, spadonum vocabulo appellatam fuisse, praesertim cum constet quam pervagatus apud quosdam populos Asiae mos fuerit semet ipsum exsecandi.

Ad hanc inter regem deumque controversiam refertur versus, quem Aristophanes Av. 276 in suum usum ita commutavit

τίς ποτ' ἔσθ' ὁ μουσόμαντις ἄτοπος ὄρνις ὀριβάτης;

Aeschyli Edonorum versum Aristophanem deflexisse scholia tradunt; genuinam vero eius formam ex scholiorum testimoniis gravi corruptela inquinatis adhuc frustra elicere studuerunt. Legimus enim in scholiis: *παρὰ τὰ ἐξ Ἠδωνῶν Αἰσχύλου· τί ποτ' ἔσται ὁ μουσόμαντις ἄλλο ἀβρατεὺς ὃν σθέναι,* apud

Suidam s. v. *μουσόμαντις*: *τίς ποτ' ἔσται ὁ μουσόμαντις ἄλλος ἀβρατεύς;* Prima verba haud dubie scribenda sunt

τίς ποτ' ἔσθ' ὁ μουσόμαντις

quae vero sequuntur plane desperata sunt. Hermannus scripsit *ἁμαλὸς ἁβροβάτης σθένει,* Dindorfius *ἄλαλος ἁβροβάτης ὅδε,* Nauckius *ἀλλὰ βᾶτε σὺν σθένει.* Quae omnia neque tradita lectione commendantur neque poëtae consilio satisfacere videntur. Quod Nauckius sibi persuasit Lycurgum hoc versu comites hortari, ut Bacchum invadant, nullam habet probabilitatis speciem, cum Dionysum vinctum in scaenam productum esse constet. Cui vero Hermanni coniectura placet, is putat regem in vincti Dionysi divinitate iocari; at vanam iocationem hoc versu contineri propter numerorum diversitatem non nimis verisimile est, quoniam risus illos senariis pedibus inclusos fuisse fragmenta supra allata docent. Quid igitur faciamus? Primum teneamus mera coniectura hunc versum Lycurgo tribui, qui etiam ab alia fabulae persona aut a choro pronuntiari potuerit. Tum vero hoc pro certo statuere mihi videor quaeri divinum aliquod numen, cuius vis ac natura cum exquisito illo cognomine *μουσόμαντις,* tum corruptis illis verbis *ἄλαλος ἀβρατεὺς ὃν σθέναι* describatur. Atque statim apparet vocabulum *μουσόμαντις* sive Musarum vates est sive vates Musis plenus non magis ad Dionysum spectare posse quam ad Apollinem. Hoc nunc digito demonstrasse satis habeo, plura mox prolaturus, cum de Bassaridum argumento disserturus sim.

Aliud fragmentum servavit auctor de sublimitate XV 6: *ἐνίοτε μέντοι ἀκατεργάστους καὶ οἱονεὶ ποκοειδεῖς τὰς ἐννοίας καὶ ἀμαλάκτους προφέροντος* (sc. *τοῦ Αἰσχύλου*) *ὅμως ἑαυτὸν ὁ Εὐριπίδης κἀκείνοις ὑπὸ φιλοτιμίας τοῖς κινδύνοις προσβιβάζει. καὶ παρὰ μὲν Αἰσχύλῳ παραδόξως τὰ τοῦ Λυκούργου βασίλεια κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν τοῦ Διονύσου θεοφορεῖται*

ἐνθουσιᾷ δὴ δῶμα, βακχεύει στέγη

ὁ δ' Εὐριπίδης τὸ αὐτὸ τοῦθ' ἑτέρως ἐφηδύνας ἐξεφώνησε

πᾶν δὲ συνεβάκχευ' ὄρος [1])

Apparet scriptorem ingeniosum atque intellegentem hoc

---

[1]) Bacch. 726.

dicere Aeschylum non tralaticio sensu de hominibus, qui domi essent, bacchantibus loqui sed non solum homines, verum ipsam domum regiam furentem bacchatamque fingere. Miraculo igitur ut par erat Dionysus divinam suam vim ostentavisse videtur. Qua in fabula trilogiae id factum sit quamquam non diserte traditur, tamen nemo dubitat, quin Welckerus versum rectissime ad Edonos rettulerit. Quae coniectura alio testimonio egregie confirmatur; nam e libro Demetrii *περὶ εὑρημάτων*[1]) haece servata sunt *ὁ γὰρ δὴ Κράτης κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον γεγονὼς Αἰσχύλῳ τούτου διὰ τῶν Ἠδωνῶν εὐδοκιμήσαντος...* Qui hunc locum restituit Theodorus Comperz[2]) coniecit Aeschyli Edonos secutum Cratem in *Γείτοσιν* ebrios in scaenam produxisse, id quod Aeschylum in Cabiris quoque fecisse Athenaeus (X 428 F) testis est. Quod si verum est, hinc quoque efficitur Aeschylum in fine fabulae ingentem Edonorum ebrietatem finxisse. Dionyso igitur iam cum suis a scaena remoto Thraces videntur uteris vino plenis incidisse et cum iam rex cum familia vino onerati furere coepissent, ipsa domus regia bacchata saltans concidisse.[3])

Iam presse constringam, quae de compositione Edonorum efficiuntur. Fabula cum ante domum regiam acta sit, inferiorum Aeschyli tragoediarum numero inserenda est. Prologus fortasse bipertitus erat, cum Lycurgus primus procederet, tum nuntius de Bacchi adventu narraret; etsi fieri potuit, ut unus Lycurgus ante chorum in scaena adesset. Summa argumenti cum in controversia inter Lycurgum deumque facta, tum in miraculis Bacchicis posita erat. Actores num plus duobus processerint infra disputabo p. 146.

Priusquam me ad alteram tetralogiae fabulam vertam, paucis liceat disserere de ratione, quae inter Aeschyli Edonos intercedat et Bacchas Euripideas. Euripidem in Bacchis etsi non primus Penthei fata docuit, tamen in omnibus fere rebus ab Aeschyli Pentheo discrepuisse constat. Cum rex apud antiquiorem poëtam pugna cum Dionysi comitibus commissa armis

---

[1]) Hercul. vol. coll. alt. V, fol. 7 (ed. Oxon. I, f. 109). [2]) Mus. Rhen. tom XXXII, 477. [3]) Haud scio an ad Aeschyli fabulam spectet Horatii illud, *non ego sanius bacchabor Edonis* (Carm. II, 7, 27); quamquam Edonorum nomen de omnibus Thracibus usurpari potuisse concedo.

interficeretur, Euripides Pentheum a mulieribus dilacerari fecit, et quamvis Aeschyleae fabulae scaena atque argumentum lateant, hoc tamen negare licet vinctum Dionysum processisse, quem ad modum deum apud Euripidem progressum videmus. Ut vero dilacerationem regis non ipsum Euripidem invenisse sed ex antiquiore quadam fabula repetivisse supra demonstravi (p. 7 ss.), ita illustratis Aeschyli Edonis apparet ei ne in prima quidem parte fabulae componenda exemplum defuisse, quod sequeretur. Vinctus enim Dionysus regis iussu in scaenam productus, cum inimico altercatus, miraculo se ipsum liberans domo procumbente haec omnia in Edonis similiter conspiciebantur atque in fabula Euripidea, neque dubitari potest, quin Euripides ad Edonorum exemplum primam partem Baccharum composuerit. Quamquam is non anxie Aeschyli vestigia pressit, cum neque deum in Edonis praefatum esse sciamus, neque divinam naturam Dionysum celavisse verisimile sit. Id enim vix fieri potuit nisi spectatoribus antea de fraude certioribus factis.

Inter pauca quae sub titulo **Bassaridum** servata sunt fragmenta haud exiguo fructui sunt versus, quos Hephaestio servavit Enchir. 13, 82 *τὸ δὲ βακχειακὸν σπάνιόν ἐστιν, ὥστε εἰ καί πού ποτε ἐμπέσοι, ἐπὶ βραχὺ εὑρίσκεσθαι, οἷον*

ὁ ταῦρος δ' ἔοικεν κυρίξειν τιν' ἀρχάν,
φθάσαντος δ' ἐπ' ἔργοις προπηδήσεταί νιν.

Locum quem obscurissimum Nauckius dicit, fere recte in libris tradi puto, nisi quod verba *ἐπ' ἔργοις* non expedio. Neque sane verisimile est cum et singula verba integra existent neque metrum offendat, versus graviore corruptela inquinatos esse. Praetermissis igitur verbis *ἐπ' ἔργοις* totum locum sic verto: *taurus videtur initio cornibus nescio quem petere, ubi primum vero ille eum praeoccupaverit, praecurret.* Tauri vocabulum cum in fabula, cuius primas partes Dionysus egit, ad deum spectare nemo opinor semel admonitus negaturus sit, de Dionysi ira praedici videtur. Minatur igitur chorus, cui hos versus tribuendos esse in propatulo est, deum suum adversarium divina quadam vi superaturum esse. Atque profecto ingentem vim his versibus subesse ipsi numeri docent. Nam ut vel singuli tetrametri bacchiaci apud Aeschylum nonnisi perpaucis locis

ad summam eius qui loquitur animi concitationem timoremve significandum inveniuntur, ita duo tetrametri facile hoc uno loco omnium Aeschyli fabularum continuantur. Respicias velim hic quoque poëtam extremam vim numerorum compressa alterius versus tertia caesura infirmavisse.

Bacchiacus tetrameter etiam in alio Aeschyli fragmento occurrit, quod fabulae nomine non indicato Macrobius adfert Sat. I, 18, 6: *Euripides in Licymnio Apollinem Liberumque unum eundemque deum esse significans scribit* '*δέσποτα φιλόδαφνε Βάκχε, παιὰν Ἄπολλον εὔλυρε*'. *ad eandem sententiam Aeschylus*

ὁ κισσεὺς Ἀπόλλων, ὁ Βακχεύς, ὁ μάντις.

Hunc quoque versum Nauckius propter numeros ad Bassarides coniectura rettulit, id quod recte illum statuisse praeter numeros vel ipsa sententia docet, in quam necesse est paullo accuratius inquiramus. Apollinem nimirum hoc loco eundem dici ac Dionysum ex ipsis Macrobii verbis satis elucet. Sed quod vulgo putant Dionysi cognomina *ὁ κισσεύς, ὁ Βακχεύς, ὁ μάντις* hoc versu ad Apollinem referri, vereor ut poëtae sententiam recte perspexerint. Neque enim si quid video vocabula *ὁ κισσεὺς* etc. ab *Ἀπόλλων*, sed *Ἀπόλλων* ab eis vocabulis pendet, neque hoc dicit poëta '*Apollo, qui hedera coronatur, vino laetatur, futura pronuntiat*', sed potius hoc '*ille deus, qui hedera gaudet, Bacchus, vates, i. e. Διόνυσος, hic deus est, Apollo*'. Chorus igitur — nam chori haec verba esse certissimum est — clamat Apollinem quem homines dicant nullum alium deum esse quam Dionysum.

Iam conferamus Eratosthenis in Catasterismis de Orpheo narrationem XXIV, p. 140: *ὃς (Ὀρφεὺς) τὸν μὲν Διόνυσον οὐκ ἐτίμα, τὸν δὲ Ἥλιον μέγιστον τῶν θεῶν ἐνόμιζεν εἶναι, ὃν καὶ Ἀπόλλωνα προσηγόρευσεν· ἐπεγειρόμενός τε τῆς νυκτὸς κατὰ τὴν ἑωθινὴν ἐπὶ τὸ ὄρος τὸ καλούμενον Πάγγαιον ἀνιὼν προσέμενε τὰς ἀνατολάς, ἵνα ἴδῃ τὸν Ἥλιον πρῶτον· ὅθεν ὁ Διόνυσος ὀργισθεὶς αὐτῷ ἔπεμψε τὰς Βασσαρίδας, ὥς φησιν Αἰσχύλος ὁ ποιητής, αἵτινες αὐτὸν διέσπασαν καὶ τὰ μέλη διέρριψαν χωρὶς ἕκαστον· αἱ δὲ Μοῦσαι συναγαγοῦσαι ἔθαψαν ἐπὶ τοῖς λεγομένοις Λειβήθροις.* Quae quam arte cum versus illius sententia cohaereant, nemo

non videt. Orpheus Apollinem illum, quem unum colere vult, Solem esse contendit, qua in re Aeschylus non solum doctrinam Orphicam reddit, qua hunc errorem tam late patentem primum propagatum esse constat, sed ipsorum Thracum religionem sequitur. Conferas Sophoclis Ter. fr. 523 Ἥλιε, φιλίπποις Θρῃξὶ πρέσβιστον σέλας. Iam igitur non modo controversiae inter Orpheum et chorum ortae originem tenemus, sed in totius tetralogiae cardine versamur. Quaeritur de Apollinis persona, quem Orpheus Solem esse dicit, chorus, quem ex Bacchi comitibus mulieribus constitisse infra demonstrabo, suum deum Dionysum. Iam Edonorum fragmenti illius memineris, quod obiter supra tetigi

τίς ποτ' ἔσθ' ὁ μουσόμαντις + ἄλαλος ἀβρατεὺς ὃν σθένει;

Iam supra dixi hunc versum indicare in Edonis fabula de Apollinis Dionysique personis controversiam fuisse, cum praeter eos de nullo uno deo vocabulum *μουσόμαντις* adhiberi possit. Eandem igitur quaestionem videmus per duas fabulas continuatam fuisse neque dubitari potest, quin in illo Orphei dissensu cum choro, cui duo illa fragmenta supra allata tribuenda sunt, summa Bassaridum posita fuerit, qui dissensus nisi Orphei morte solvi non poterat. Rectissime igitur Hermannus statuit Eratosthenis verbis quae supra exscripsi ipsum Bassaridum argumentum contineri neque, ut aliis placuit, narrationem chori cantico cuidam insertam, cui cum ipsa actione nihil commune sit. Nam licet neque Lycurgus in hac fabula neque Orpheus in Edonis progressus sit, — id quod sane nullo iure negatur, etsi ne eum processisse quidem affirmare licet — tamen Orphei fatorum narrationem interpositam minime continuum iustumque ordinem tetralogiae corrupisse satis apparet.

A Bassaridibus Orpheum dilaceratum esse Eratosthenes testis est; e Bassaridibus chorum constitisse titulus fabulae indicare videtur. Quod vero nullo modo eodem tempore et Orpheus et chorus a scaena abesse potuerunt, poëta in ipsa scaena vatis mortem demonstrasse videtur. Quod duplici modo institui potuit, cum aut inde a prologo scaena in Pangaeo collocaretur, aut prima pars fabulae ante domum regiam doceretur, tum vero scaena in solitudine esset. Atque re vera

Orphei mortem in ipsa scaena Aeschylum spectatoribus ante oculos ponere potuisse minime negaverimus, si meminerimus, qua ratione vel Sophocles in Aiace rem instituerit. Verumtamen chorum in ulla tragoedia hoc modo actorum munus suscepisse ac vi et armis rem disceptavisse, ut mihi persuadeam vix animum induco. Immo si Bacchas Euripidis consulimus, quas multis modis a Lycurgea pendere iam supra intelleximus, alia via nobis aperitur. Nimirum ut Euripides Bacchas Asiaticas, ex quibus chorus constat, a Bacchis Thebanis, quae Pentheum dilacerant, distinguit, ita statuimus apud Aeschylum chorum e Bassaridibus Asiaticis constitisse, quae cum Orpheo de Apollinis vero nomine atque persona disputarent, Thracias vero Bassarides, quae item ac Thebanae mulieres divino furore corruptae per Pangaeum baccharentur, vatem a scaena remotum discerpsisse. Nomen certe nullam difficultatem habet; nam *βασσάρας Λυδίας* Dionysi in Edonis Lycurgus irriserat, eisdem autem *βασσάραις* etiam Bacchas Thracias vestitas fuisse Etymologico Magno edocemur p. 195, 5 *λέγονται βασσάραι χιτῶνες, οὓς ἐφόρουν αἱ Θρᾴκιαι βάκχαι.* Totam igitur fabulam ante domum regiam doctam esse puto, Orphei mortem spectatores et chorum e nuntii ore comperisse.

Haec fere sunt quae de Bassaridum scaena atque argumento non sine probabilitate statuere posse mihi videor; quae his subiciam coniecturas esse concedo nondum satis confirmatas. Eratosthenes narrationem de Orpheo supra exscriptam ita concludit *αἱ δὲ Μοῦσαι συναγαγοῦσαι* (sc. *τὰ μέλη*) *ἔθαψαν ἐν τοῖς λεγομένοις Λειβήθροις,*[1]) quae verba cur ad alium fontem quam antecedentia referamus non habemus et nostro iure conicimus Musam in fine fabulae mortuum filium dolentem processisse. In eandem coniecturam Maassius incidit Rhesi exitu collato.[2]) At haud scio an ampliora excutere liceat. Constat enim praecipuum locum in fabulis de Orphei nece tenuisse narratiunculas de fatis capitis abscissi, quae in alium modum ab aliis narrabantur. Cuiusmodi fabellas iam

[1]) Recte nimirum Maassius monet (Orpheus p. 135) *τὰ Λείβηθρα* ad Pangaeum montem sita fuisse, ubi Orpheus divinis honoribus colebatur; cf. Himerius Or. XIII, 4. [2]) Maass Orpheus p. 139.

ante IV. saeculum propagatas fuisse pictura Attica exeuntis quinti saeculi[1]) docet Orphei caput vaticinatum continens; iuvenis quidam oracula tabellae inscribit, Apollo Orpheo adstat.[1]) Haec si cum Eratosthenis loco allato conferimus coniectura se nobis inculcat apud Aeschylum in fine fabulae, cum iam spectatores a nuntio quodam sive comite Orphei sive pastore, qui ex latebra Orphei necem spectavisset, de facinore certiores facti essent, Musam cum filii capite abscisso progressam narravisse, quomodo filii membra per silvas dissipata cum sororibus indagavisset, ne sepultura vates careret, tum divinos honores mortuo praefatam esse. Quae si re vera ita se habuerunt, apparet Aeschyli exemplo Euripidem usum esse, cum Agauen cum Penthei capite in scaenam produceret. At vereor ne nimis cupidus videar Euripidis artes ad Aeschylum referendi.

Affirmavit Furtwaenglerus praeter eius quam modo commemoravi paterae pictorem alios quoque artifices ex Aeschyli Bassaridibus argumenta hausisse.[2]) Quippe cum neque sexti saeculi neque ineuntis quinti ulla monumenta Orphei fata demonstrent, post bellum Persicum autem idem argumentum vel maxime placuisse videatur, Aeschyli tragoediam ansam dedisse Orphei fata pingendi opinatur. Iam videamus num ipsae picturae hanc opinionem commendent.

Initium facio ex amphora Berolinensi Celae effossa, quam Furtwaenglerus l. c. diligenter delineandam curavit atque ingeniose explicavit. Orpheum cernimus cum lyra in rupe sedentem Thracesque cantu eius delectatos: vatem palliatum, Thraces ἀλωπεκῇ et ζειρᾷ indutos artifex effinxit. Cui picturae facile intellegitur nihil inesse, quod ad certam quandam tragoediam spectet, neque magis ad Aeschylum quam aut ad nullum aut ad omnia de Orpheo carmina ea revocari potest. Neque minus liquet de altero genere vasorum, quae Orpheum exhibent a feminis interfectum.[3]) Quae cum omnia in eo consentiant, quod vatem effingunt lyra, cuius fides iam conscissae sunt, mulieres propulsantem, licet sane hanc rem ad carmen

[1]) Bull. Nap. n. s. VI 4, 1. Minervini p. 33. Furtwaengler 50. Programm zum Winckelmannsfeste, Berlin 1890, p. 163 s. [2]) l. c. p. 154 ss. [3]) MDJ I 5, 2. — Gerhard Trinksch. u. Gef. II J 1. — ibidem II J 3.

quoddam referamus. Etsi ne id quidem omni dubitatione exemptum est, cum pictores, qui Orpheum fidibus canentem fingebant a mulieribus oppressum, necessario fere in hoc inventum incidere deberent. At utut haec res se habet, ab Aeschylo utique maior picturarum numerus prorsus discrepat, quod omnino non a Bassaridibus vatem dilaceratum demonstrant, sed a quibusvis mulieribus, quae Bacchici cultus nullum insigne habent, instrumentis domesticis interfectum. Neque igitur putabimus neglegenter pictores Bassarides effinxisse, cum picturae accurate in eas fabulas quadrent, quae vatem a Thraciis mulieribus nescio qua de causa iratis interfectum dicunt. Idem de iis picturis valet, quae Orpheum inter Thraces canentem exhibent, dum iam mulieres accurrunt ad necem paratae.[1])

Contra in amphora apud Gerhardum Trinkschalen und Gefässe II J 3 expressa duae mulieres lapides in Orpheum coniciunt, quarum cum altera *νεβρίδι* induta sit, fieri potest ut ab Aeschyli fabula pictor pendeat. Quamquam dubitationem movet eques quidam Thrax, qui hasta Orpheum defendere conatur. Idcirco licet sint Bassarides, quas in pictura mulieres videmus, Aeschyleam tamen fabulam pictor aut omnino illustrare noluit aut suo Marte mutavit.

Ipsas igitur picturas intelleximus Furtwaengleri opinioni minime favere. Neque sane est, quod miremur paullo post Lycurgeam doctam in vasis Orphei fata pingi coepta esse, cum antea pictores in hoc argumento non versati esse videantur. Nimirum Orpheus non quod ab Aeschylo in scaenam productus est apud Athenienses adeo clarus fieri coepit ut pictores quoque huic fabulae illustrandae studerent, sed quod post Cimonis expeditionem Thraciam cum aliae locorum illorum fabulae, tum Orphei mythus magno apud Athenienses favore colebatur, et Aeschylus et pictores eodem fere tempore in eius fata narranda incubuerunt. Itaque quae ex Aeschyli Bassaridibus pendeant nulla monumenta scio.

Tertiae fabulae, quae **Neanisci** inscribitur, fragmenta tam exigui momenti sunt, ut neque de scaena neque de ipso argumento quidquam inde doceamur. At cum ex eis, quae de

[1]) Raoul Rochette Mon. in. 13, 14. — Arch. Ztg. 1868, 3.

Edonis et de Bassaridibus disputavimus, satis eluceat in neutra fabula insaniam Lycurgi locum habuisse, tertiam fabulam ad eius poenam pertinuisse vel sponte patet. Iam igitur a longiore hac disputatione, quae fere tota in fragmentis explicandis versata est, tandem aliquando ad artis monumenta nos convertamus, quippe quae uberrimam copiam huius argumenti indagandi praebeant. Neque tamen omnes imagines, quae ad Lycurgum spectant, nobis tractandae erunt. Nam cum aliae Bacchum exhibeant a Lycurgo fugatum marisque in litore a Thetide receptum, aliae regem, qui dum Ambrosiam Baccham necare conatur vitibus implicatur, aliae denique eundem insania captum uxorem filiumque occidentem exprimant, duae priores classes a nostro studio removendae sunt, quippe quarum altera ab Homero, altera a recentiore quodam poëta pendeat; in tertia sola classe scaenae vestigia patent atque hoc unum dubium est, utrum ad Aeschylum an ad recentiorem quendam poëtam eam referamus.

Agmen ducat amphora Rubustina (A) in Annalibus Instituti 1874 tav. R expressa. Aedificium videmus, cuius inter columnas Lycurgus filium praecipitatum bipenni interfecturus est. A dextra parte mulier quaedam terrore percussa fugere conatur, retro tamen verso ore, ut quamvis fugiens fugere non posse videatur. Patera ei ex dextra manu delabitur, quam ad ritum sacrum pertinere ramuli laurei myrteique docent. Huic mulieri ab altera aedificii parte vir quidam respondet barbatus ornateque vestitus, quem venatorem esse canis indicat; dextra manu hastas tenet, altera vultum tegit summo dolore demissum. Denique in tecto os humerosque mulieris videmus, quae dextram manum deorsum intendit. Pallium ventu intensum supra caput eius sinuatur. In altero vasis latere Bacchus cum duobus satyris conspicitur.

Sequitur testa amphorae Appulae (B), quam publici iuris fecit Treuius Arch. Anz. VI, 1891, p. 24. Haec quoque pictura aedificium exhibet, cuius ex foribus rex insanus se proripit. Is in dextra manu bipennem vibrat, in sinistra eum vitem gessisse Treuius censet. Re divina regem occupatum fuisse fasceae indicant, quae a zona dependent. Hinc et illinc singulas mulieres fugientes videmus, plures vero figuras olim in integro vasi exstitisse certum est.

Contra in amphora Rubustina C — MdJ V 23 (vid. tab. III) sicut in reliquis omnibus monumentis, quae nunc recensebo, aedificium deest. Lycurgus bipenni armatus necem coniugi prolapsae minatur. Furia alata devolat, quae magno fulgore circumfluxa flagellum in regem intendit. A dextra parte filium necatum adulescens quidam et virgo deportant, a sinistra alius iuvenis cum paedagogo accedens magno ardore regem obsecrat, ut insano facinore desistat. Ara igni imposito adiecta est, hydria iuxta eam humi iacet. In superiore basis parte Apollo cum lyra supra aram considet, laurea longos capillos ornatus, dextramque dolore commotus ad caelum effert. Iuxta eum Mercurius adstat absque altera parte Mars considet hasta innixus, cum Nympha quadam, ut videtur, locutus.

Deinde in amphora Neapolitana 2874 (D) — Millingen Peintures de vases 1. 2; Zoëga Abhandlungen ed. Welcker tab. I 1 — item ac in C Lycurgus uxorem prolapsam interfecturus est, filius iam necatus a virgine quadam sustinetur, furia regem incitat. Laurus Apollinis maenasque in superiore parte picta Dionysi numen indicat. Pro Nympha in B Faunum inter rupes considentem videmus.

In amphora Monacensi 853 (E) — Millin Descr. des tomb. de Canose p. 42 no. 4; Zoëga l. c. tab. I 3 — Lycurgus non bipenni sed gladio armatus uxorem sustinet iam interfectam. Furia etiam nunc anguem in eum vibrat, Dionysus a sinistra procedit. Mercurius ut in C in rupe sedens casum regis prospectat; filius omissus est.

Longe aliam speciem prae se fert amphora Neapolitana 3219 (F) — MdJ IV 16; Roscher Myth. Lex. p. 2198. Regina deae cuiusdam, Cotyttus scilicet, simulacrum complexa amentem coniugem effugere conatur. Lycurgum bipenni eam aggressum iuvenis quidam abripere studet a tergo regem amplexus. Ab altera simulacri parte furia decedit. Dionysus cum suis adest, tauri femur abscissum humi iacet.

Brevius fabulam constringit pictura vasis G — Mus. Borb. 13, 29; Roscher Myth. Lex. p. 2195. Lycurgus nomine adscripto notatus filium genibus innixum bipenni necat. Simillimum monumentum (II) commemorat Koerte Specula Etrusca

p. 143, 2 „das Relief eines Goldringes, welches den seinen Sohn mit der Axt tötenden Lykurgos darstellt.“

In amphora marmorea Corsini (I) — Gori Mus. Etrusc. I 15; Zoëga l. c. II 6; Welcker Antike Denkmäler II 3, 8 — Lycurgus inter magnum numerum ebriorum bacchantum gladio uxori instat, quae ad statuam Apollinis puerili admodum aetate efficti fugit.

Denique sarcophagus Romanus Matteianus (L) — Matz-Duhn 2269 — reginam ab insano coniuge necatam exhibet vel potius olim exhibuit; nam nunc quidem regina in imagine haud integra non exstat. Reficiendum nimirum opus est ad speciem sarcophagi Borghesiani (Zoëga Abhandlungen I; Roscher Myth. Lex. p. 2201 s.), in quo Lycurgus a furiis irritatus Ambrosiam bipenni necaturus est, dum vites iuxta eam prosiliunt. In nostro opere non Ambrosiam sed reginam desiderari filiolus Lycurgi docet, qui genua patris amplexus a matris nece eum abstinere conatur.

Primo obtutu satis diversa haec monumenta esse videntur, ut vel num ad eandem fabulae formam ea referenda sint dubitari possit. Certe diversa furoris momenta in eis videmus, nam in C et D Lycurgus filium iam necavit, uxorem necaturus est; in A filium occidit, dum mulier quaedam effugit; in F uxorem ad deae simulacrum effugientem occidit, in E mortuam in bracchiis sustinet; in B facinore iam confecto foras se proripit. In E et F filius deest; sed in promptu interpretatio est eum iam occisum et a servis ablatum esse, id quod in C fieri videmus. Regina in S et H propter spatii angustitatem omissa est; mulier in A num regina sit an potius canephorus quaedam infra perscrutabor. Apparet igitur omnes quas adhuc enarravi discrepantias temporis discrimine facile excusari posse neque quod in F Cotyttus simulacrum, in I Apollinis statuam videmus, obstat, quin monumenta ad eandem originem referamus. Sed levioribus his differentiis praetermissis quae communia sunt vasis — nam missos facio ad tempus sarcophagos — satis multa ac gravia inveniuntur. Atque primum quidem filium videmus in omnibus vasis ante matrem necari; Lyssam a caelo delapsam in A C D regem instigare — nam mulierem in tecto in A Lyssam esse reliquis monumentis collatis patet —, Lycurgum denique, id

quod summi momenti esse puto, insania capi, dum rem sacram facit. Nam hoc indicat patera, quam ramis myrteis ornatam mulier in A gerit, fasceae sacrae a zona regis dependentes in B, ara, cuius in superficie flamma incensa est, et hydria humi iacens, qua aquam sacratam ad χέρνιβας destinatam contineri apparet, in C. Itaque hunc fere in modum argumentum illud quod pictores ante oculos habuerint, restituamus: ad aram stabat Lycurgus coram familia deo cuidam sacrificaturus; iam victima adducebatur et rex bipennem in manu tenebat, qua taurum immolaret, cum repente Lyssa occurrens regem stimulo instigavit, ut mente alienatus bipenni ipsum filium uxoremque occideret. In propatulo esse videtur regem mente obcaecatum filium pro hostia habuisse, velut Agaue Pentheum tamquam leonem dilacerat, Pentheus taurum pro Lydo vexat, Agamemnon cervam pro filia necat. Attamen et Hyginus, quem satis simile argumentum protulisse infra videbimus, narrat Lycurgum filium uxoremque pro vitibus habuisse, quas cum excidere vellet, regem familiam occidisse, et in amphora B rex domo se proripiens vitem in manu tenet. Quae vestigia si sequimur, id quoque cogitari potest, vites repente iuxta aram prosiluisse, cum iam rex bipennem teneret, quo aspectu barbarum de infesti dei potestate admonitum furere coepisse et cum vitibus simul filium quoque et uxorem percussisse.

Haec omnia tragoediam redolere apparet, quae prorsus similiter ab hac quidem parte instituta fuerit necesse est atque Herculis Euripidei media pars v. 823—1015. Lycurgus cum ad sacrificandum regiam introisset, Lyssa in machina processit[1]) comite Mercurio, quem in C et E videmus. Mercurii munere apud Euripidem Iris fungitur, cum Iunonis iussu Lyssa Herculem accedat. Lyssa postquam choro indicavit a quo et quo consilio missa sit, in regiam penetrat. Sequitur chori canticum quod filii morientis clamore interrumpitur. Tum e regis familia quidam procedit, ut Lycurgi casum enarret. Cum in A mulierem, quae pateram antea tenuerat, fugientem cernamus et in B altera utique mulier item ac rex domo se proripere videatur, cane-

[1]) Nimirum ad scaenae exemplum pictor amphorae A Lyssam in tecto collocavit.

phorum quandam hoc munere functam esse verisimile est. Quae omnia ut necessario e monumentis coniciuntur, ita accuratissime cum fabula Euripidea consentiunt neque ullo pacto fieri potest, quin altera fabula ad alterius exemplum instituta sit. Neque quae tragoedia prior docta sit post egregiam Wilamowitzii disputationem de Hercule Euripideo dubium esse potest. Ille enim docuit nimis artificiose Euripidem insaniam Herculis cum sacrificandi condicione coniunxisse,[1] cum heroa rem sacram interrumpentem faceret, ne ante Eurysthenis filiorumque eius ultionem frustra manus lustraret. Pro quibus ambagibus in Lycurgea illa fabula iustum et simplicem modum servatum fuisse apparet; nam sive pro victima sive pro vite rex filium necavit, utique insanae regis cogitationes aptissime cum tota rerum condicione cohaerebant. Tum animadvertas ne id quidem ab Euripide satis circumspecte inventum esse, quod Hercules sagittis clavoque filios suos occidit; rectissime enim Wilamowitzius interrogat qui fieri potuerit, ut Herculi in re sacra facienda arma praesto essent, quibus liberos occideret. Contra Lycurgus bipenni filium necat, quam ad hostiam immolandam iam antequam in furorem incidit in manu tenebat. Quibus de causis adducimur ut nostro iure statuamus non tragoediam illam, ad quam monumenta spectant, ad Herculis Euripideae exemplum compositam fuisse sed Euripidem eam imitatum et ut exemplum superaret ad artificiosa illa inventa delatum esse. Tenemus igitur Lycurgeam quandam ante a. 424 doctam, ante quem annum Herculem doceri potuisse Wilamowitzius negat, in IV. saeculo ab artificibus saepenumero lineis circumscriptam esse neque Romanis quidem ignotam fuisse. Quam tragoediam Aeschyli Neaniscos esse cum sponte patet — neque enim de Polyphradmonis Lycurgea quisquam cogitabit — tum certa indicia confirmant. Nam quod Apollinem in C supra aram considentem videmus et in I regina ante Apollinis simulacrum occiditur et in D laurus depicta est, dubium esse nequit, quin Lycurgus Apollini fuerit sacrificaturus, cuius dei quantae partes in Aeschyli Lycurgea fuerint supra satis ostendi. Quod pictor amphorae F reginam ad Cotyttus simulacrum fugientem

---

[1] Euripides' Herakles II² p. 204 s.

facit, haud scio an Edonorum illo in prima fabula cantico recordatus sit, in quo Cotytto commemoratur. Nullo autem pacto inde colligere licet illi deae Lycurgum sacrificavisse.

In tertia igitur tetralogiae fabula Aeschylus ad Lycurgi fata rediit. Rex cum de Orphei nece iratus neque tamen Apollinis numini diffidens suo deo sacrificare vellet, sibi ipsi familiaeque perniciem comparavit. Praeter regem, Mercurium, Lyssam, nuntium quae personae in scaenam processerint, nescimus, cum certa testimonia desint. Reginam in prima parte fabulae processisse non solum ex Herculis Euripideae comparatione verisimile est, sed etiam pro scaenica arte tantum non necesse esse videtur. Filium puberem non fuisse, qualem picturae ostendunt, sed infantem in propatulo est. Quod pictores in hac re suae artis modum condicionemque magis spectaverint quam fidem minime offendit neque vero omni testimonio coniectura destituta est, cum in sarcophago Matteiano infantem filium videamus. Restat ut paucis dicam de venatore illo in A, qui dextra ad oculos elata vehementer lugentis speciem praebet. Ipsi sacrificio regisque insaniae hominem validum atque armatum interesse minime oportuisse sane apparet, statuoque igitur eum rege iam in sanam mentem restituto advenisse, ut funestum amicum doleret atque consolaretur. Qui quis fuerit nescio; hoc autem patet similes partes eum suscepisse ac Theseum in Hercule Euripideo.

Enarravi quae monumenta de tertia Lycurgeae fabula docent;[1]) iam quomodo haec cum Apollodori et Hygini narrationibus faciant inquiramus. Hyginus Lycurgi fata in fabula CXXXII sic tradit: *Lycurgus Dryantis filius Liberum de regno fugavit . quem cum negaret deum esse vinumque bibisset et ebrius matrem suam violare voluisset, tunc vites excidere est conatus, quod diceret illud malum medicamentum esse, quod mentes immutaret . qui insania ab Libero obiecta uxorem suam et filium interfecit . ipsumque Lycurgum Liber pantheris ob-*

[1]) Picturarum cum altera classis (A et B) quam accuratissime ad ipsam scaenam spectet, altera solutius pingendi magis usum modumque sequatur quam speciem scaenae, fieri potest, ut haec a celeberrima illa imagine pendeat, quam Athenis in Bacchi templo pictam Pausanias commemorat I 20, 3; conferas supra p. 11.

iecit in Rhodope, qui mons est Thraciae, cuius imperium habuit. [hic traditur unum pedem sibi pro vitibus excidisse]. Copiosius Apollodorus 3, 5, 1, 3: *Λυκοῦργος δὲ παῖς Δρύαντος, Ἠδωνῶν βασιλεύων, οἳ Στρυμόνα ποταμὸν παροικοῦσι, πρῶτος ὑβρίσας ἐξέβαλεν αὐτόν· καὶ Διόνυσος μὲν εἰς θάλασσαν πρὸς Θέτιν τὴν Νηρέως κατέφυγε, Βάκχαι δὲ ἐγένοντο αἰχμάλωτοι καὶ τὸ συνεπόμενον Σατύρων πλῆθος· αὖθις δὲ αἱ Βάκχαι ἐλύθησαν ἐξαίφνης, Λυκούργῳ δὲ μανίαν ἐνεποίησε Διόνυσος· ὃ δὲ μεμηνὼς Δρύαντα τὸν παῖδα, ἀμπέλου νομίζων κλῆμα κόπτειν, πελέκει πλήξας ἀπέκτεινε, καὶ ἀκρωτηριάσας αὐτὸν ἐσωφρόνησε· τῆς δὲ γῆς ἀκάρπου μενούσης, ἔχρησεν ὁ θεὸς καρποφορήσειν αὐτὴν, ἂν θανατωθῇ Λυκοῦργος· Ἠδωνοὶ δὲ ἀκούσαντες εἰς τὸ Παγγαῖον αὐτὸν ἀπαγαγόντες ὄρος ἔδησαν, κἀκεῖ κατὰ Διονύσου βούλησιν ὑπὸ ἵππων διαφθαρεὶς ἀπέθανε.* In utraque fabula quae de exitu Lycurgi narrantur ut inter se discrepant, ita ea ab Aeschyli fabulis vix pendere posse apparet; cetera vero cum eis satis consentiunt, quae ex picturis edocti sumus, nisi quod Apollodorus scaenicam illam versionem cum Homeri de Baccho in mare fugiente narratione male contaminavit. Hygini fabulae clausulam Schmidtius recte quidem ut glossam uncis inclusit, attamen rem ipsam non imperite argumento subiectam esse Apollodori illud *ἀκρωτηριάσας αὑτόν* indicat. Nam quod in eius narratione editores *αὐτόν* scribendum esse maluerunt, cum ipso argumento pugnat, quoniam Lycurgum filium necavisse auctor paullo ante a affirmat. Ad Aeschylum id referendum esse vix puto, cum nimis immoderata copia argumenti iustum fabularum modum excedere videatur. Idem valet de iis, quae Hyginus de matre Lycurgi narrat, etsi hoc tamen inde admonemur facile fieri potuisse, ut regis mater in Neaniscis fabula procederet et aeque ac Amphitryo in Hercule Euripidea familiae casum superstes doleret.

In fine trilogiae, qua Bacchi humilitas, gloria, triumphus continebatur, ipsum Dionysum processisse in propatulo est et fieri potest, ut ad eius orationem referenda sint, quae Sophocles Antig. 955 ss. de exitu Lycurgi narrat:

Ζεύχθη δ' ὀξύχολος παῖς ὁ Δρύαντος,
Ἠδωνῶν βασιλεύς, κερτομίοις ὀργαῖς

ἐκ Διονύσου πετρώδει κατάφαρκτος ἐν δεσμῷ.
οὕτω τᾶς μανίας δεινὸν ἀποστάζει,
ἀνθηρόν τε μένος· κεῖνος ἐπέγνω μανίαις
ψαύων τὸν θεὸν ἐν κερτομίοις γλώσσαις.
παύεσκε μὲν γὰρ ἐνθέους
γυναῖκας εὔιόν τε πῦρ,
φιλαύλους δ' ἠρέθιζε μούσας.

Nam cum fabulam de Lycurgo rupe incluso Atheniensibus fortasse non ante V. saeculum notam fuisse infra demonstraturus sim, ex tragoedia quadam Sophoclem eam hausisse veri non dissimile est. Si recte ad Aeschylum eam revoco, Baccharum fortasse instar Neanisci finem habuerunt: restituto iam Lycurgo in sanam mentem Dionysus in scaenam regressus saxeas vinculas aeternumque cruciatum praedixit.

Septem igitur octove personae in Neaniscis progressae sunt: Lycurgus, regina, Mercurius, Lyssa, nuntius (canephorus?), amicus quidam et fortasse mater Lycurgi. Quibus omnibus ut duo actores satisfacerent dubium esse nequit quin Aeschylus efficere potuerit; certiora in hac re tam incerta affirmare non licet.

Restat ut de quarta tetralogiae fabula pauca dicam. In qua Lycurgum vinctum et a satyris aut quibusvis aliis cultoribus Bacchi irrisum processisse docet fragmentum traditum ab interprete Aristophanis ad Equ. 1150 *Αἰσχύλος ἐν Λυκούργῳ ἀλληγορικῶς τοὺς δεσμοὺς κημοὺς εἴρηκε· καὶ τούσδε κημοὺς στόματος.* Quarum cavillationum exemplum servavit Athenaeus X p. 447 C

Κἀκ τῶνδ' ἔπινε βρῦτον ἰσχναίνων χρόνῳ
καὶ σεμνοκόπτει τοῦτ' ἐν ἀνδρείᾳ στέγῃ.

Sic potatores in Lycurgi calamitate iocantur.

Etsi extra officium a me susceptum positum est indagare quanam arte Aeschylus traditum argumentum commutaverit, auxerit, scaenae adaptaverit, tamen paucis in hanc quoque quaestionem incumbere mihi liceat, quippe cuius Homeri comparatio ansam praebeat. Diomedes enim in Iliade cum Glauco in pugna congressus dum an deus ille sit dubitat aggredique illum non audet, meminit Lycurgi *Z* 130 ss.;

*οὐδὲ γὰρ οὐδὲ Δρύαντος υἱὸς, κρατερὸς Λυκόοργος,
δὴν ἦν, ὅς ῥα θεοῖσιν ἐπουρανίοισιν ἔρζεν.
ὅς ποτε μαινομένοιο Διωνύσοιο τιθήνας
σεῦε κατ' ἠγάθεον Νυσήϊον· αἱ δ' ἅμα πᾶσαι
θύσθλα χαμαὶ κατέχευαν, ὑπ' ἀνδροφόνοιο Λυκούργου
θεινόμεναι βουπλῆγι.*[1] *Διώνυσος δὲ φοβηθεὶς
δύσεθ' ἁλὸς κατὰ κῦμα, Θέτις δ' ὑπεδέξατο κόλπῳ
δειδιότα, κρατερὸς γὰρ ἔχε τρόμος ἀνδρὸς ὁμικλῇ.
τῷ μὲν ἔπειτ' ὀδύσαντο θεοὶ ῥεῖα ζώοντες,
καί μιν τυφλὸν ἔθηκε Κρόνου παῖς· οὐδ' ἄρ' ἔτι δὴν
ἦν, ἐπεὶ ἀθανάτοισιν ἀπήχθετο πᾶσι θεοῖσιν.*

De infante deo in hac fabula cogitandum esse rectissime sane is animadvertit, quem Eustathius secutus ad v. 136 haec adnotavit: *λέγεται δὲ αὐτὸς* (*Λυκοῦργος*) *διώκειν τὸν Διόνυσον καὶ τὰς ὀργιαζούσας αὐτῷ τιθήνας, παύσασθαι δὲ τοῦτο ποιῶν, ὅτε φοβηθέντα τὸν Διόνυσον . . . Θέτις ὑπεδέξατο κόλπῳ, οἷα δηλαδὴ ἁπαλόν τινα παῖδα· τοὺς τοιούτους γάρ ἐστι κόλπῳ δέχεσθαι.* Etsi scaenae memoria, ut videtur, plerosque et veteres et novos pellexit, ut de pubere deo male cogitarent. Justam esse Eustathii ratiocinationem satis certa indicia docent. Attigerunt enim magis quam narraverunt Lycurgi fabulam scholiastes ad Σ 486, interpres ad Germanici Phaeno-

---

[1] *βουπλήξ* quodnam instrumentum sit ambigitur. Quod vocabulum cum post Homeri memoriam a sermone Graeco alienum esset, diversis modis grammatici explicaverunt. Etymologia enim cum doceret *βουπλῆγα* instrumentum esse, quo boves feriantur, nimirum flagellum, glossographi num *βούκεντρον* an *μάστιγα* an *πέλεκυν* intellegerent haeserunt, velut Eustathius l. a. *βουπλὴξ δὲ βούκεντρον ἢ πέλεκυς βοὸς ἀναιρετικὸς ἢ μάστιξ γινομένη ἀπὸ τμήματος βύρσης.* Quod vero *βουπλήξ* ubicunque a recentioribus auctoribus ad Homeri exemplum usurpatur, bipennem significat — praeter unum locum (Luciani) Philopatr. 4 — haec explicatio vulgata fuisse videtur. Quae cum a vera Homeri sententia longe abhorreat, atque vix intellegi possit, quo modo factum sit, ut vel post Aristarchi egregiam curam Homeri locus perversa hac vocis *βουπλήξ* interpretatione falso intellegeretur, haud spernenda mihi videtur coniectura, Aeschylum vocabulum *β.* de bipenni usurpavisse, quo Lycurgus familiam interfecit — sive Homeri locum prave interpretatum, sive novum sensum vocabulo prisco substituentem, Aeschylum autem recentiores poetas in falsa illa Homeri interpretatione secutos esse.

mena *B P* p. 75,1, Hyginus Ast. II 21, quos ex Eratosthenis Catasterismorum exemplari integro hausisse epitome collata (XIV p. 196 Robert) patet. Ipsi Pherecydem pronuntiant auctorem, cuius narrationem verbis interpretis ad Il. Σ 486 proferam: *Ζεὺς ἐκ τοῦ μηροῦ γεννηθέντα Διόνυσον ταῖς Δωδωνίσι νύμφαις τρέφειν ἔδωκεν . . . αὗται θρέψασαι τὸν Διόνυσον περιῄεσαν σὺν αὐτῷ, τὴν εὑρεθεῖσαν ἄμπελον ὑπὸ τοῦ θεοῦ τοῖς ἀνθρώποις χαριζόμεναι. Λυκοῦργος δὲ μέχρι τῆς θαλάσσης συνεδίωξε τὸν Διόνυσον. ἐκείνας δὲ ἐλεήσας ὁ Ζεὺς κατηστέρισεν· ἡ ἱστορία παρὰ Φερεκύδῃ.* Idem paullo post *Φερεκύδης δὲ καθὰ προείρηται τὰς Ὑάδας Δωδωνίδας νύμφας φησὶν εἶναι καὶ Διονύσου τροφούς, ἃς παρακαταθέσθαι τὸν Διόνυσον τῇ Ἰνοῖ διὰ τὸν Ἥρας φόβον, καθ' ὃν καιρὸν αὐτὰς καὶ Λυκοῦργος ἐδίωξεν.* Cum Homeri narratione Pherecydem concinere apparet neque quemquam offendet, quod alter Inonem alter Thetitem praetermisit: neutrius scilicet intererat totam fabulam narrare, sed ea tantum circumscripserunt, quae occasio flagitaret. Verba autem *παρακαταθέσθαι τὸν Διόνυσον τῇ Ἰνοῖ* nullam dubitationem relinquunt, quin de infante deo sermo sit. Itaque haec quoque fabula ad aegritudines spectat, quas infans Dionysus propter Junonis inimicitiam perpessus est. Aeschylus primus e scaenae usu puberem deum a Lycurgo vexatum finxisse videtur.

Quod dixit Homerus *κατ' ἠγάθεον Νυσήϊον* Lycurgum dei nutrices fugavisse, lamentatus est vetus interpres multas esse Nysas neque de quo loco poëta cogitaverit certi quidquam statui posse. Recte ille quidem de Nysis; quem vero locum Homerus in animo habuerit, non improbabili coniectura indagare licet. Nam cum poëta Dionysum ad ipsam Thetida profugisse narret, in Thessaliae oris rem actam esse recte Maassius[1]) monuit, quoniam Thetidem non in qualibet parte Oceani, sed ad Sepiam Magnesiae promontorium habitasse constat. Quam sententiam duobus argumentis confirmare possum. Nam qui apud Homerum Lycurgi pater commemoratus Dryas apud eundem Ξ 265 Lapitharum dux occurit. Licet nimirum personae diversae sint, nomen certe ad Thessaliam spectat. Tum vero memineris

[1]) Hermae tom. XXIII p.

apud Pherecydem nutrices a Lycurgo perterritas Dionysum Inoni tradidisse, quam cum Halis in ore sinus Pagasaei habitasse constet, in Thessalia Pherecydem et ipsum Lycurgum collocavisse meo iure concludo. Hoc igitur pono Graecum esse illum Homeri et Pherecydis Lycurgum Graecorumque opiniones religiosas redolet, quod Bacchus in mare fugisse narratur. Qui Lycurgus num recte cum aliis eiusdem nominis deis heroibusve Graecis confundatur disserere huius disputationis fines excedit.

Contra Lycurgi sive dei sive herois cuiusdam apud Thraces cultum Demetrius commemorat apud Strabonem *X* 471 *τὸν Διόνυσον δὲ καὶ τὸν Ἠδωνὸν Λυκοῦργον συνάπτοντες εἰς ἓν τὴν ὁμοιοτροπίαν τῶν ἱερῶν αἰνίττονται.* Duos igitur tenemus Lycurgos, quorum alter Graecus vir Penthei instar omni immanitate teterrimus deumque hominumque contemptor (*ἀνδροφόνος*) Dionysum novum deum omnimodo exstinguere conabatur, alter Thracius deus Bacchici cultus particeps erat. Qui cum in unam personam confluxerint, quaestio se nobis inculcat, num quid Thracii illius Lycurgi cultus ad Graecorum fabulas conformandas valuerit.

Herodotus ubi de Getis Thracum gente disputat, haece narrat (IV 94): *ἀθανατίζουσι δὲ τόνδε τὸν τρόπον . . . οὔτε ἀποθνήσκειν ἑωυτοὺς νομίζουσιν ἰέναι τε τὸν ἀπολλύμενον παρὰ Ζάλμοξιν δαίμονα.* Idem cum de Crobyzis et Terizis Photius, Suidas, Etymologicum magnum referant, haud sine quadam probabilitate reliquis quoque Thracum gentibus similes opiniones imputamus. Quod vero Zalmoxem in cavo quodam monte habitare Strabonis verba *ἀντρῶδές τι χωρίον* (VII 298) satis plane docent, apparet Sophoclis illam narrationem de Lycurgo saxis incluso, quam Aeschyli quoque Neaniscis coniectura tribuimus, ad hunc ipsum Thracum deum pertinere. Nimirum quod Graeci poëtae hunc exitum Lycurgi pro poena habuerunt, non maiorem movet mirationem, quam quod Rhesi eandem in monte vitam ut insigne quiddam musarum praemium praedicaverunt.

Apparet hanc Thracii Lycurgi cum Graeco confusionem accidere non potuisse, nisi eo tempore quo Graeci Thracum rebus studerent frequentique usu cum eis coniuncti de moribus cogitationibus ritibus eorum indagarent. Quod haud scio an non ante V. saeculum factum sit. Quinto saeculo ineunte regiones

ad Strymona sitae prorsus in Persarum potestate erant ac profecto nec Athenienses neque alii Graeci tum in Edonorum finibus habitaverunt. Confectis vero bellis Persarum omnia studia rationesque et commerciiet rei militaris in eas regiones vocabantur. Olympiade LXXVI Athenienses coloniam ad Strymona constituerunt et quantopere omnium animi tum in Thracum rebus versati sint, ipse Aeschylus integerrimus testis exstat, qui Ol. LXXVII in Persis accurateeas regiones depinxit (v. 868 ss.)[1]. Summam igitur habet verisimilitatem tum demum Athenienses Edonorum illum Lycurgum novisse et nescio quam ob causam cum Graeco illo ex Homeri carminibus notissimo confudisse; id quod eo facilius fieri potuit, cum apud Homerum nulla patria Lycurgi indicata esse videretur.

Satis multa cognita habemus, ut mirificam artem ingeniumque sane divinum summi poëtae admiremur. Ut Atheniensium studiis responderet Aeschylus a Thracii Lycurgi cum Graeco coufusione profectus novam fabulam constituit, mutavit, quae a scaena abhorrebant, haud exigua, nisi fallor, ipse invenit. Orpheum Lycurgo adiecit deorumque certamine instituto summam religionis gravitatem fabulae addidit.

Quonam tempore Lycurgea docta sit certa testimonia desunt. Quod vero et Edonos et Bassarides et Neaniscos ante domum regiam doctas esse intelleximus, inferiorum Aeschyli fabularum numero Lycurgeam inserendam esse patet.

---

1) Videas quae Fridericus Blass disseruit in Musei Rhenani vol. XXIX 481.

Corrigendum.

pag. 128 adn. lege vid. tab. II. pro tab. Ic.



a



b



